


AB

W5212

Tom. 26.  
27.  
28.

113  
Silber

L1100 Ha.



113  
L.O. ~~29~~, 4.

MERCURII GALLO-BELGICI  
M. GOTHARDO ARTHUSIO SUC-  
CENTURIATI,

*Sive*

RERVM IN

GALLIA ET BELGIO PO-

TISSIMUM, HISPANIA QUOQUE,

ITALIA, ANGLIA, GERMANIA, UNGARIA,

Silesia, vicinisq; locis, à nundinis Francofurtensibus ver-

nalibus anni 1651. usq; ad nundinas eiusdem anni

autumnales passim gestarum,

**HISTORICÆ NARRATIONIS**

*continuata,*

**TOMI VIGESIMI OCTAVI**

**LIBER TERTIVS.**

*Auctore*

JOANNE GEORGIO SCHLEDERO, Ratisponensi.

*Cum S. Ces. Majest. Privilegio Speciali.*



**FRANCOFURTI,**

*Sumptibus & typis Hæredum Sigismundi Latomæ, Anno 1651.*

LIBRARY OF THE  
M. G. ...

THE ...

TO ...

...

...

...

...

...



...

Anno  
1651.

MERCVRII GALLO-  
BELGICI M. GOTHAR-  
DO ARTHUSIO SUC-  
CENTURIATI,

TOMI XXIIIX. LIBER III.

*EORVM, QUAE à NVNDI-  
nis Francofurtensibus Vernalibus anni 1651.  
usque ad Autumnales anni ejusdem relatis  
digna passim in orbe acciderunt, nar-  
rationem continens.*



UM IN PRÆCEDENTI *Connexio*  
libro secundo, paginis aliquot *cum prio-*  
de rebus quibusdam, in aula *ribus, &*  
Sacratissimi Cæsaris nostri, nec *voto An-*  
non in utroque Hungariæ atq; *thoris pro*  
Bohemiæ regno gestis, scripserim, visum *successus*  
est, Gratiöse Domine Lector, præsentem *laboris,*  
hunc librum tertium ex eadem materia ex-  
ordiri, & deinceps eodem cum priori ordi-  
ne historiæ nostræ filum pertexere: quod  
dùm ita facere insisto, Tu, Triune Deus,  
Author & suator omnis boni, post animum

A a ab

Anno  
1651.

ab omni affectu remotissimum, in corpore sano sanam quoque mentem mihi conserva, ut omnia, quæcunque impræsentiarum dicam, vergant in Sanctissimi nominis Tui gloriam & honorem, nostrum vero omnium, qui hæc legimus & legemus, maximè autem eorum, qui post nos venient, perpetuam utilitatem atque salutem.

*Helvetiorum Legatorum expeditio in aula Cesaris.*

Quod igitur ad Helvetiorum Legatorum expeditionem attinet, quorum pag. 17. prioris libri mentionem fecimus, illi apud Cæsaream suam Majestatem non solum omnem satisfactionem obtinuerunt, nimirum ut merces apud Spitenfes arrepto detentæ ipsis restituerentur, Helvetique ab Imperii exactionibus in posterum immunes essent, verum etiam ante discessum torquibus aureis, & nummis honorariis donati sunt.

*Oratoris Polonici sollicitatio*

Tum quoque in aula Cæsaris versabatur Regis Poloniae Orator, qui militem & pecuniam sollicitabat, præcedens verendum esse, ne Poloniae regnum futura æstate graviatque funesto Tartarorum & Cosaccorum bello involvatur: unde fama constat, Cæsaream suam Majestatem clementissimè ordinasse, ut præter milites, apud Silesios in confinibus Poloniae hærentes, 5000. 6000ve, adhuc istuc emitterentur, ad Ducatum

catum Silesiæ non tantùm eò meliùs de Anno  
 fendendum; sed etiam, ut crederetur, Po- 1651.  
 lonis, si necessitatis casus ita ferat, tantò fa-  
 cilius succurrendum.

Mense Januario Legati VVürtembergi *Würtem-  
 bergicus &  
 Brunswi-  
 censes fenda  
 accipiunt.*  
 ci, & cum his etiam Brunsvicenses, acceptis  
 jam à Cæsarea tuâ Majestate feudis, Con-  
 siliarios eius, aliosq; aulicos exquisito con-  
 vivio valedictorio tractarunt.

Tùm Jovis 19. 9. eiusdem, acscito Co- *Colalto  
 Junior in  
 Cõsiliu Im-  
 perialis -  
 aulici ad-  
 sefforẽ ac-  
 cur.*  
 mite Colalto Juniore in Consiliu Imperia-  
 lis aulici adsefforum numerum, 14. 24. de  
 mùm Cæsar Regis Daniæ Legato, Christia-  
 no Ranzovio, Holsatiæ Governatori, cui  
 jam antè eiusdem Ducatus feudum pro  
 Rege Danorum confirmaverat, dignita-  
 tem Comitum Imperii clementissimè con- *Christia-  
 nus Ran-  
 zovius  
 novis di-  
 gnitatibus  
 insignitur.*  
 tulit, eundemque privilegio cudendi mo-  
 netam donavit.

Deinde ad diem Jovis 26. 16. mensis su-  
 præ nominati, Reverendissimus Princeps *Episcopus  
 Constanti-  
 ensis feu-  
 do Imperij  
 donatur.*  
 atque Episcopus Constantiensis, ab ea-  
 dem Cæsaris Majestate per Helvetiorum  
 Legatos feudo Imperii donatus est: quo  
 eodem die, præfatus Ranzovius præcipuis  
 aulae Cæsareæ Ministris sumptuosas epulas  
 exhibuit: qui idem in itinere retrogrado  
 Suerini ab utroque Duce Juniore Megalo-  
 purgenfi honorificè exceptus, antequam

Anno  
1651.

autem isthinc discederet, pretioso quodam equo, ephippio quoque acu picto, & pertinenti reliquo apparatu donatus, Lubecam contendit, ubi cum similiter lautè tractatus fuisset, munera quoque tanti Regis Legato digna sustulit.

*Traharũ  
vectio ap.  
Viennẽses  
solennis.*

Hoc mense Viennæ, trahendis per nivem trahis variæ voluptates institutæ feruntur, quibus complures maiorum gentium Dii, Principes, Comites, & id genus alii viri magni interfuerunt, quorum quilibet sua in traha nobilem fœminam habuit: ad quam rem tantò commodiùs peragendam, hyems & nives favente cœlo conjurasse videbantur.

*Ludi in  
honorem  
Cæsaris  
habiti.*

Eiusmodi ludicrum, quod Galli sua lingua *Masquerade* appellant, ludos quoque Circenses, & pyrobolarium exercitiũ, in honorem Cæs. Majestatis die Solis 12. 2. Februarii exhiberi fecerunt, Dux Amalphæus; Carolus Saxoniz Princeps; Maximilianus Comes Wallensteinus, & Comes Colloredius, idque Viennæ in area arci obiecta, cuiusmodi ludos ibi à multis hinc annis non visos nunciant. Pompam hanc personatam eques præcedebat Comes Starenbergius, prætorio Præfectus; quem secuti sunt a scaulæ & gingritores, item bartus quidam personatus, cui Musi-

cus



cus infedebat, cantans simul & restudi. Anno  
nem pullans. Ord. nem continuarunt 16, 1.  
complures primariæ existimationis viri, at-  
tamen personati omnes, in quorum quavis  
cohorte, quâ pedestri quâ equestri, ultra  
50. personæ numerabantur, adiunctis sex  
tubicinibus, & zneatore, quorum singuli  
accensam facem manibus præferebant.

Hoc exhibito spectaculo, ad ludos eque-  
stres & hasticos itum est, quibus semihora  
insumta: dein verò ad pyrobolos accessus  
factus, quod egregium artificium ex portis  
honorariis duabus constitit, quæ ambitu  
suo omnem aream implebant, quarû quæ-  
libet in extremitate aquilam, Imperii si-  
gnum, cum gladio & pomo ostendit: in  
lateribus autem videre erat quatuor inau-  
ratas literas, innuentes FERDINAN-  
DUS VIVAT, ELEONORA VI-  
VATq; . Ab arcis exitu funiculus e-  
rat, & in hoc telum ignitum (quod vulgus  
Germanorum *Maqueten* appellat: ) pe-  
tore aquilæ alligatum, quod telum Cæsar  
ipse succendit, hoc verò pertacto corde a-  
quilæ tantum ignis expuit, quantum toti  
machinæ circulo ve satis fuit. Aquila plus  
semihora deflagrans, varios ictus emisit,  
multumq; ignis provomuit: id quod dex-  
trè cessisset, nisi Dux Amalphæus (cuius  
equus,

A 4

equus,

8 *Mercurii Gallobelgici*

Anno  
1651.

equus, strepitu atque fumo omninò exsternatus, inter currendum ad alium impigerat:) præceps in terram exactus esset, qui lapsus ipsum per aliquot dies lecto affixit. Aiunt Cæsaream suam Majestatem eiusmodi spectaculis, & quosvis cæteros spectatores, quorum in numero Turcicus quoque Legatus fuit, mirifice delectatos fuisse.

Die Jovis 16. 6. Febr. viri Magnates octoginta, quibus septuaginta conditionis nobilioris fœminæ aderant, paganas nuptias exhibuerunt, larvis omnes transformari, qui à Domo provinciali (vulgò *dem Landhaus*;) viam, per aream arcis & diversos vicus, legentes, in domum à corio nomen sortitam transcenderunt. Hoc incesu, equites vario habitu rustico conspicui erant; viragines verò unà cum symphonicis, sedecim curribus sejugis vehebantur, ramis abiegnis, ex quibus mala Limonia aurantiaque & bracteolæ aureæ dependebant, undique obiectis. Hi deinde totam illam noctem in hospitio antedicto variis recreationibus in somnem duxerunt.

*Lamber-  
gus novā  
Impera-  
tricem  
Mantua  
deductū  
proficisci-  
tur.*

Triduo antè Joannes Maximilianus Comes à Lamberg Vienna discessit, futuram Cæsaris Conjugem Mantuâ illuc deductum, quippe cuius aulæ Magister de  
nomina-

nominatus fuerat, veluti infra sub titulo de Anno  
Matrimoniiis fusiùs dicemus.

1651.

Ineunte Martio, Comes Frisiæ Orien- Comes Fri  
talis in Senatum Imperiali-aulicum acci- sia Orien-  
tus est: Legato Megalopurgensi feuda con- talis, di-  
firmabantur; & quandoquidem die Solis *gnitatem*  
12. 2. Martii, inter Cæsaream Majestatem *Senatoris*  
& Ducissam Eleonoram, Mantuæ Spon- *Imperia-*  
lia celebranda fuerant, illo die quicumque *lis aulici*  
majorum gentium aulici vestibus mirifice *accipie.*  
superbire visi sunt.

Die 21. 11. eiusdem, præmemorata Cæ- *Eleonora,*  
saris Sponsa, concomitantibus eam Duce *Mantuæ*  
Mantuæ eiusque Coniuge ac Matre, Man- *Ducissa,*  
tua egredi debebat, ex qua causa Senatus *ad aulam*  
Venetus Procuratorem, Dn. Ludovicum *Cæsaris*  
Morefinium, Legatum constituit, qui ad *Sponsa*  
iunctis cataphractorum turmis tredecim, *deducitur*  
eam ad confinia Comitatus Tirolensis de-  
duceret, & per quasvis ditiones, Veneto-  
rum Jurisdictioni parentes, sumptus sup-  
peditaret, quo sine conspicuo admodum  
comitatu Venetiis discessit.

Postridie Sponsa Imperatoris continua-  
to usque ad Villam-Francam itinere, ma-  
gno facum accensarum numero intra mœ-  
nia introducta est, & perhonorificè habita.  
Ajunt verò, inter Sponsæ fratrem, Mantuæ  
Ducem, & modò nominatum Legatum

A s

Vene-

**Anno**  
**1651.**

Venetum Morelinium, quippe qui fecit, quod iussus erat, in via utem suscitatum esse, eamque propter titulos & manum dextram, tum etiam propter personas ipsas, & equitatum, dum Mantuani carpento Ducissæ proximi esse velient, Veneti autem, ut in suo consistentes solo, hunc sibi honorem præ cæteris deberi existimarent; id quod Dux Mantuæ perægrè ferens, spretis in agro Veneto diversoriis, verèdis Veronam contendit, nec soror Cæsari desponsata, quod quidem ab Imperatore iussa fuerat, Morelinium torque donavit.

Miserat quoque Mantuam Dux Modenensis quendam præcipuorum suorum Ministrorum, ex nobili prosapia ortum, qui Sponsæ Cæsareæ suo nomine congratularetur; ut verò de humilibus huius natalibus intellexit, eo repudato, alium maiorum gentium Legatum ad se dimitti petiit.

Interea vero Eleonora Imperatrix vidua, Comite usa Archiduce Oenopontano, cum frequenti aulicorum famulatio læpiùs memoratæ Sponsæ Cæsaris Villacum obviam processit, eam velinibi, vel in quocunque alio eius vicinæ loco salutatum atque exceptum, ac porro Viennam deducendum. Sed cum ob viarum difficultatem

cultatem iter conficere non posset, in op- Anno  
 pido, quem *Pontem Muranum* dicunt, ali- 1651.  
 quantum subsistere coacta est, nuncio alla-  
 to, novellam Cæsaris Sponsam interim  
 Villacum appulisse: 12. autem Aprilis illinc  
 rursùm iter Neostadium, octo à Vienna  
 miliaribus distitum, ingressam, in quo et-  
 jam loco 30. 20. Aprilis, quæ erat DOMI-  
 NICA JUBILATE, Cæsari Sponso viduo  
 matrimoniali fœdere juncta est, prout in-  
 fra, sub titulo de Matrimoniis, latius res ex-  
 plicabitur.

Hoc & priori mense, Cæsaris aula por- *Baro*  
 rò excepit Bärnklaum, Oratorem Sue- *Schmi-*  
 cicum; item Electoris Bavariæ ac Ducis Sa- *dus Com-*  
 baudiæ Legatos, quorum huic per univer- *stantino-*  
 sam Bavariam septemviri liberalitate sum- *pole re-*  
 ptus suppeditati sunt; horum verò expeditio- *vertunt,*  
 nis successum Mercurius suo tempore ex-  
 plicare non præteribit.

H. 20. 10. Maij, Baro Schmidius, con-  
 fecto magna cum Cæsaris satisfactione  
 Constantinopolitano itinere, ad aulam  
 Imperatoriam reversus est, qui tùm pro se  
 ipso, tùm etiam aliis, ad comitatum eius  
 pertinentibus, pretiosos equos, tapetia  
 magni valoris, & alia Germanis rara ac cha-  
 ra attulit.

Anterioribus autem diebus, qui in aula  
 Cæsaris

**Anno** Cæsarishactenus egerat, Turcarum tyran-  
**165 .** ni Legatus, reditui Constantinopolim se  
**Legatus** quoque adcinxit: ad quem cum omnia pa-  
**Turcicus** rata haberet, & die Martis 9. Maii, 29. A-  
**Vienna** prilis, VALERE iussis, Comite Buchhe-  
**Constan-** mio & Oratore Veneto, ab hoc vastæ mo-  
**tinopolin** lis, pretiique non tenuis speculo, quod vi-  
**redit.** ri duo portarunt, donatus esset, denique  
 decem navigiis ( quorum unum, omniva-  
 ria armatura & ferrea suppellectile onu-  
 stum, infra Posonium fluctibus Danubii  
 sorptum est & certæ quædam personæ inibi  
 perierunt: ) prono flumine Comorram  
 devehitur, ut inter ipsam, & supra nomi-  
 natum Baronem Schmidium, permutatio  
 Legatorum ex more fieret. Hæc de gestis  
 in aula Cæsaris.

**Hungari-**  
**ca.**

In Hungaria hoc semestri nihil accidit,  
 quod calamum cum primis mereretur, nisi  
 quòd Cæsarismandatu, mense Aprili vigi-  
 lum quidam Magister, propterea quòd  
 Cæs. suæ Majestatis Consilarii secreti, &  
 regni Bohemiæ Cancellarii vitæ insidiatus  
 fuerat, compeditus propugnaculo Co-  
 morrano illatus fuit.

Mense Junio, ex Austria munimentis  
 Hungariæ finitimis de machinis aliquot  
 fulminalibus denuò provisum est, & plu-  
 res aliæ, cum valida militum Germano-  
 rum

tum manu, illuc subvehi iussæ, eo nimirum Anno  
fine, ut nisi restitutio circiter quater mille 1651.  
oppidulorum, arcium, castellorum pago-  
rumque, nostris in Hungaria contra indu-  
ciarum pacta dolosè ereptorum, intra con-  
ventum trimestre certò futura sit, Turcæ  
demùm vi hostili, & manu armata ad resti-  
tuendum compellantur.

Tùm temporis quoque Bassia Buden-  
sis aulus fuerat, in loco quodam Christia-  
nis admodùm detrimentoso munitionem  
suscitare, quam verò nostri, malo, quod  
inde sibi pronasci facilè posset, cognito, an-  
tequàm ad perfectionem fuisset reducta,  
solo cõplanarunt. Et quia miles Mahome-  
ticola sub id frequèti numero in Hungaria,  
maximè verò prope Neuheuselâ cõfluere  
deprehēdebarur, Viennâ legiones duæ nu-  
meroso milite valentes illuc dimissæ sunt,  
quæ auxilio pluriû aliarû brevi submitten-  
darum, machinationib. hostium attende-  
rent, eosdemque à vi nostris intentata ar-  
cerent. Ex Neuheuseliano igitur præsi-  
dio certa militum pars mente Quintili e-  
ruptione facta, cum manipulo hostium  
numero multò ampliore congredi ausa, in  
fugam illos dedit, cæsisq; quos fortuna ca-  
stigare voluit, triginta captivos propugna-  
culo inculit. Hæc ex Hungaria paucula.

In

**Anno** In Bohemiæ regni metropole Praga,  
**1651.** mense Martio Edictum, quod Vicarii regii  
*Bohemica* paulo tempore antè, de deponendis nocturno tempore gladiis promulgari fecerant, permittu sacratissimi Cæsaris non solum confirmatum fuit, quin etiam pœna certa constituta, qua transgressores inevitabiliter afficiendi essent.

Deinde in reformando quoque religionis negotio acriter desudatum est, in quod regnum diversæ personæ Ecclesiasticæ dimissæ, quæ subditos incolasque in fide Romano-Catholica informarent: quamobrem rustici atque pagani, (cognoscentes quævis exercitia religionis ideò sibi interdici, ut hac viâ ad Papismum tantò facilius perducantur:) jugum obsequii nusquam non excussuri videbantur: unde Princeps Lobcovizius, veritus ne tale quid inter suos etiam subditos eveniret, ad leniendos exulceratorum animos Praga profectus est.

Id negotii etiam in Austria tractatum accepimus, diplomate quodam Cæsareo, pro omnium templorum rostris recitari, eorumq; valvis affigi jusso, eius argumenti, ut in posterum, sub inevitabilis pœnæ irrogatione, quicumque Austriam, tractumque quâ suprâ quâ infra Anisum incolen-



colentes, ( exceptis tamen Principis eque- Anno  
strisve dignitatis personis : ) diebus prohi- 1651.  
bitis ab esu carniū, librorū acatholico-  
rum lectione, item ab introductione pro-  
tectionēve Pseudomystarū non Roma-  
norum, & aditione templorum aliorū  
quā Catholicorum abstinere: Hinc ex  
hæreditariis Cæsaris regionibus, magna ho-  
minum multitudo, amore religionis Lu-  
therano - Evangelicæ, ad extera loca se-  
cessit.

Rebus itaque fide dignioribus, quæ in  
Austria partim, partim etiam in Hungariæ  
atque Bohemiæ regnis gestæ sunt, succin-  
ctâ narratione præmissis, sequuntur jam  
gesta Svecica, connectenda cum illis, quæ  
in præcedenti libro secundo passim Mer-  
curius retulit.

Post Coronationis regis actum solen-  
nissimum, cū Regia sua Celsitudo, Prin-  
ceps Palatinus, Carolus Gustavus, intelle-  
xisset, 8. 8. Decembris Regis suæ Maie-  
statī natalem esse, lautissimas epulas, in  
quarum confectōne hætenus multum o-  
peræ sumptum, & præter has etiam pyro-  
bolos artificiose factos in honorem Regi-  
næ concremandos ordinavit.

Die sequente vel Martis vel Mercurij,  
Reginæ Viduæ **MARIÆ ELEONORÆ** no-  
mine,

Anno  
1651.

mine, similiter exquisitissimum convivium instructum fuit, quod ad morem inter Hollandos consuetum exhiberi debebat, & in quo plus octoginta ex utroque sexu personæ numerabantur, diversarum nationum Statuumque mores ac habitus ostentantes. Horum cuivis, pro conditione accepta suo in vestitu conveniente comparere, munerique dato decenter præesse incumberebat, Regia sua Majestate sorte iussa, ut durante symposii huius solennitate, ceu hospitis filia sub persona Juvenculæ Hollandicæ se sistat, atque hospitibus præsentibus administrari juvet.

Hoc eodem mense Dominus Boernclavius, Reginae ad Cæsarem Orator, itineri futuro omnia expedivit, ut propter seuda in aula Imperatoris accipienda, nonnulla præ-disponeret, & postmodum Coronæ Sueciæ nomine eius negotia ibi procuraret. Aiunt, legationis subsecuturæ ad antedictam aulam, Caput constitutum esse, Comitem Magnum de la Garde, adjuncto ei Collega Alexandro Erskenio, Consilii bellici Præside, cuius rei certitudinem tempus nobis aperiet.

*Chani  
Tartarorum  
Legatio Sto-  
cholmiæ.*

Chani Tartarorum Legatio, quæ tunc temporis Stocholmiæ existeret, sedecim erat personarum, inter quas septem Legati pri-

ti: primus Magni Chani, qui primarium Anno  
 legationis caput representavit, & vir non 1651.  
 vulgatæ experientiæ credebatur: secundus,  
 Chani fratris natu majoris; tertius, fratris  
 natu minoris; quartus, Conjugis Chani;  
 quintus, Matris; sextus, Chani filii, septi-  
 mus autem Vezieri-Azemi nomine, qui  
 Ministrorum primus est, aderant: quotquot  
 deinde in reliquo comitatu numeraban-  
 tur, inter familiarium censendi sunt.

In commissis verò habuisse intelligun- *Successu*  
 tur, omnem lapidem movere, si possibile *caret.*  
 sit, Coronam Sueciæ bello cum Russis ge-  
 tendo, cui Chanus hoc anno initium fece-  
 rat, implicari, ad quam expeditionem tanto  
 faciliori negotio suscipiendam, servitia  
 quidem sua obtulisse, parum verò promo-  
 visse fama relatum est.

Ut igitur per aliquot hebdomadas apud  
 aulam regiam statum est, die 28. Decembr.  
 in patriam reversuri, terrâ iter emensi sunt,  
 omni tempore soluti ab omni sumptu, at-  
 que ante discessum torquibus ac rebus aliis  
 donati.

Post abitum eorum, nonnulla in aula *Aula Sue-*  
 regia Stocholmiensi mutatio accidit, Regi- *cica Sta-*  
 na laborante, qua ratione aulae status, ad *tus cōtra-*  
 evitandos immensos sumptus, qui ab ali- *bitur.*  
 quo tempore impendendi erant, arctius

B con-

Anno 1651. contrahi queat: quo sine, dimittendo com-  
plures à pedibus, & octo tubicines, ini-  
tium factum esse accepimus.

*Parnassus* Nona Januarii, sub noctem Chorea illa  
*triūphans* magna, *Parnassus triumphans* dicta, saltan-  
*Chorea*, do exhibita est, propterea quòd vestitus  
*exhibetur* pertinens, & cæteri apparatus citius expe-  
diri non potuerint, ob id à die coronatio-  
nis in præsens usque tempus dilata, cui a-  
ctui plus octoginta personæ, & cum his  
Principis Caroli Gustavi Regia Celsitu-  
do, interfuerunt, ab octava vespertina usq;  
ad quartam matutinam perdurans.

*Carolus* Mense Februario, cadavere Baronis Ca-  
*Carlso-* roli Carlsonii, quondam regni Sueciæ tri-  
*nius tu-* rarchi, frequenti & peraugusta Grandium  
*mulo ma-* pompa tumulo illato, præfatus Princeps  
*gnificè il-* Grypsholmam profectus est, Reginam in-  
*latus:* bi, cum regina Matre vidua, & alios aulæ  
regiæ affectas lauto convivio honoratum,  
variisque oblectationibus affectum: quo  
eodem tempore Comes Magnus de la Gar-  
de in Axelsonii regni Marecalli locum suf-  
fectus est.

*Regina* Traductis igitur aliquot diebus Gryps-  
*Upsaliam* holmiæ (ubi ludi varii instituti fuerant: )  
*adit:* Regina, Carolus Gustavus Princeps Pala-  
tino regius, & omnis comitatus, Eckhol-  
miam profecti sunt, opiparo convivio ibi à  
Comite

Comite Magno excepti atque tractati. II- Anno  
 hinc Upsaliam transitum, ubi, ex qua neici- 1651.  
 tur incuria, incendium suscitatum, quod  
 in arce illa operis Coronati ad levam tectū,  
 cum superiori hypocausto delevit, cæterum  
 autem ædificio nullum omnino damnum  
 aliud attulit. Ferunt, in honorem Reginae  
 hic locorum omnivarios ludos præbitos, &  
 diversa exercitia academica exhibita esse.

Martio mense, civitatis Augustanae tres *Eius in*  
 Delegati (de quibus in antecedenti quo- *Augusta-*  
 que libro mentio incidit:) optimè conten- *nos & a-*  
 ti, ex Suecia in Daniam profecti sunt, cum *liorum pte*  
 in restorationem duorum eius loci de- *muni-*  
 structorum templorum, à Regina regente *centia.*  
 5000. Eius matre, regina vidua 1000. Prin-  
 cipis Palatini Celsitudine Regia 1500. Im-  
 periales, ab aliis etiam Magnatibus non ri-  
 dendam æris summam accepissent, permis-  
 sione data, ut per omnia templa collecta  
 fiat, suo deinceps tempore Augustam de-  
 portanda. Literis Stocholmiensium de 15.  
 25. Martii certiores sumus, præmemoratis  
 Delegatis non solum sumptus suppedita-  
 tos, verum etiam aliis muneribus donatos,  
 domum rediisse. Adhæc Septemviri Pala-  
 tini Legato, & in aula Heidelbergensi ve-  
 natorum Magistro, Domino à Cronen-  
 burg pulcrè satisfactū esse, dum plus quam

B a dimi-

Anno  
1651.

dimidiam partem æris, Coronæ Suæciæ pro redimenda pace pendendi, à regina impetravit, & sua etiam munera ab eadem accepit.

*Baronum dignitate donati Magna-tes aliquot* In Baronum dignitatem Stocholmiæ acciti sunt, Gubernator quondam primarius Knut Possius; Locumtenens modernus, Hermannus Flemmingius, cum duobus eius fratribus: dein Senator regni & armorum Generalis Præfectus Wittenbergius, & Laërtius Krufius, militum tribunus, qua dignitate brevi post & alii donandi erant.

*Torsten-sonius inter vivos esse desinit*

Ad diem Lunæ 7. 17. Aprilis, Stocholmiæ moritur Comes Leonhardus Torsten-sonius, in militia Sueco-regia quondam Campi Marefcallus Generalis vigilantissimus, felicissimus, quem ex malo ordinario, podagra putà, cui & calculi dolores accesserunt, defecisse asserunt.

*Martinus Gestrenus securi percutitur*

Mercurii 23. eiusdem, capite plexus est ibidem, ex Grammateorum ordine *Martinus Gestrenus*, qui quondam patrem in academia Upsaliensi Matheseos Professore habuit, quòd manum Regiæ artificiosè mentiri sciens, appresso deinde sigillo regio, in Grammatophylacio usurpari solito, sub falsa hac manu ab aliquo tempore regia multa diplomata corrupisset.

Tertia

Tertia Maii Stocholmia scribitur, Kö. Anno nigsmarccium Generalem, paucis mensib. 1651. antè Comitis titulo auctum, ad iter se ac- Königs- cinxisse, ut Comitatus sui Westerwyc-marccius ciensis possessionem apprehenderet. Le- Comitis gatum quoque Salvium Reginae benevo- titulo au- lentia in Baronum ordinem adscriptum, getur. eidemque in Ingermanlandia locupletem quandam parochiam RAUTUS d. etiam dono cessisse, ac demùm, ad obeundã novam legationem, mense Iunio in Germaniam navigasse. Quo itidem mense, Regia sua Maiestas regni Senatorem Axel-Liliũ, & Dominum Duglassum, Barones proclamari mandavit.

Salvio in Germaniam transgresso, Comes Gustavus Hornius, quondam militiae Sueciae in Germania Campi Marefcallus Generalis, Stocholmia in Livoniam quoq; profectus est, ut ibi locorum quasvis legiones, pedestres equestres recenseret, militemq; noviter adscriptum armilustrio exercecet: Regina verò summum gubernaculum Gothlandiae, Hallandiae, Wermlandiae Daliaeque, à quo Comes Torstenfonijs lege mortis nuper recesserat, Principis Palatini Adolphi Iohannis Celsitudini: Careliae autem & Ingermanlandiae inspectionem regni Senatori Eryco Stein-

Anno 1651. boccio elementissimè commisit. Ex Suecia hæc sufficient.

*Danica historia stringitur.* Rerum in Dania gestarum historiam breviori narratione comprehendemus. Relatum legimus, Regem Daniæ mense Februario anni huius 1651. publicis edictis quosvis Judæos spatio quatuordecim dierum regno exesse mandasse, mille Imperialium multa constituta, quotusquisque recutitur absque salvi commeatus literis Regis sui inibi videndi copiam facere ausus fuerit: quin etiam illi honorarium quinquaginta Imperialium promissum, quisquis post cōstitutum terminum Hebræum in regno deprehenderit, illudque loci Magistratui decenter significaverit. Causam verò ejectionis huius nonnulli hanc prætendunt, quòd Iudæi, gens fœnori atque usuris deditissima, auri atque cimmeliorum mercaturam facere attentavissent, idque contra regni Daniæ leges & constitutiones.

Præter hæc antedicta sua Majestas in animum induxit, consentientibus regni Senatoribus atque Ordinibus, in regni Daniæ defensionem atq; emolumentum, novam urbem propugnaculumve condere, idque in Jutia septentrionali prope Bersoddam, promissa onerum quorumvis ac tributorum immunitate in aliquot annos, omnibus,



bus, quibus inibi unum aut alterum ædificium erigere, locumque incolere visum fuerit: qua in re quid successurum sit, tempus veritatis filia nos edocebit.

Rege in his occupato, literis Hafniæ Rex Daniæ 15. 25. Aprilis datis nunciatur, quæ ratione per certam quandam fœminam suspicio orta sit, quendam ex primariis regni ministris (aiunt, hunc esse regni Daniæ aulae Magistrum *Vlefeldium*;) vitæ Regis insidiari, eundemque veneno è medio tollere machinari: quam de se calumniam spargi, cum dictus minister intelligeret, innocentiam suam hac in re via Juris declaraturus, in fidem & clientelam Regis se commendasse dicitur, paratus tamen, si quid interrim sinistri, quod suspicabatur, sibi accidat, vim illatam à domo sua armata manu propellere.

Quemadmodum igitur Rex, petente id ante nominato ministro, fœminam hanc in vincula duci iussit, ita & eundem de iudicio sisti cavere fecit. Interea inter hunc ministrum, & militum tribunum Gualterum injuriarum quoque actionem coortam esse, ob quam rem hic arresto detentus, & diem sententiæ expectare iussus est. Ad quam decidendam, nimirum veritatem indagandum, testimonia atque relationes

B 3 produ-

Anno  
1651.

producendum, & tandem juxta hæc sententiam proferendum, Commissarii candidi denominati sunt, Rege interim mandante, ut tam arci quàm civitati de ampliore custodia provideatur, etsi in hac re nullæ aliæ turbæ intercurrerint. Quæ verò dehinc utriusque partis attestata, assertivè vel elisivè, fuerint, quemve finem actio injuriarum inter ministrum & Walterum, militum tribunum orta, habitura sit, de hoc plura addendi suo tempore & loco occasio incidet. Interim certum est, fœminam suprâ dictam per quindecim milites in conspectum judicum aliquoties productam, atque examini adhibitam esse, quæ uno eodemque ore semper locuta, de priori eloquio nunquam cessit; undè tanti momenti negotium in proximo Procerum regni conventu discutere, & veritatem rei indagare, conclusum fuit.

*Gallica  
extra bel-  
lum gesta.*

Ad res in Gallia præter bello gestas describendum, Candide lector, convertimur, ubi temporis & foliorum angustia brevitatis me studiosum esse monent, cujus non immemor, historiam, hanc succincta narratione edisseram.

Mazarinio

Mazarinio Cardinale, universo Gallia. Anno  
 rum regno emigrare iussu, quod partim in 1651.  
 superiori libro secundo relatum extare *Mazari-*  
*arbitror*, Conventus Cleri perægrè tulit *ni è regno*  
 graviterque sensisse cognoscebatur, quod *Galliarū*  
 Senatus Parlamenti eam sibi autoritatem *eiectione*,  
 sumere ausus sit, nimirum contra dictum *Clerum*  
 Cardinalem, ceu personam Ecclesiasticam *vehemen-*  
*summi gradus*, tam iniquo modo, & sibi nō *terpungit*,  
 parum præiudicioso, procedendi: quod ta-  
 men Parlamentarii parum curantes, è pri-  
 scorum aliquot Scriptorum monumentis  
 palam facere conabantur, Parlamentum  
 rebus sic stantibus cum Cardinale nihil  
 minus quam iniquè egisse, quin potius ad  
 Bullas provocarunt, quas antehac Pontifi-  
 ces Romani contra Cardinales promulga-  
 ri fecerunt, in primis autem moderni Pon-  
 tificis, quâ Cardinalibus sub pœna excō-  
 municationis iniungitur, ne consiliis Re-  
 gum Principumve aliorum secularium se  
 immisceant, verum sua potiùs curantes,  
 domi suæ, Romæ putà maneant. Hinc ex  
 hac ipsa urbe, literis octavâ Apulis tra-  
 ditur, Innocentium, Papam modernum,  
 nonnullos Theologos convocari iussisse,  
 consultum, num Mazarinius Cardinalis,  
 quatenus talis, Pontifice non consentien-  
 te à Parlamento Parisiensi regnò pelli po-

Anno  
1651.

26

*Mercurii Gallobelgici*

tuerit; id quod illos affirmasse, fama loquitur, exemplisque commonstrasse, Mazarinium, non ut Cardinalem, leu personam Ecclesiasticam, verum ut perversum administratorem exulare iussem.

Improvius hic Mazarinii discessus, quanta etiam cunq̄ue celeritate fuerit adornatus, populum vulgumve celari non potuit; hinc commotione exortâ, pars eum acriter persecuti sunt, graviter mulctantes, quorum in fuga potiri valuerunt. Experti sunt hoc magno suo incommodo, *Marchio de Ronceroles*, & *Dunkerkanorum* Gubernator, qui proscriptum secuturi in itinere erant; quorum illi vulnus lethale inflictum, huic autem equus, quo invehatur, globo trajectus mortuus concidit.

Nec verò silentio prætereundum æstimo, quid iniuriæ ob hanc ipsam rem *Duci Espernonio Parisiis* evenerit: cum enim hic homo post fugam Cardinalis quodam die horis antemeridianis, pilento suo vestus ad palatium Regis tenderet, vulgus post eum clamans, Mazarinistam appellavit: ad cuius mitigandam ferociam cum simularet, rem hanc ridiculam sibi videri, id quod verò plebs sinistrè intelligens, hoc modo sibi illud arbitrata, facto in pilentum

eum impetu, in multas partes illud discer. Anno  
psit, latellitiumq; verberibus probè mul- 1651.  
ctavit, Dux autem fugâ vix dilapsus, in re-  
giam re recepit. His adde, quæ in præce-  
dente libro de Mazarinii transitu per Nor-  
mandiam relata legis.

Divulgato itaque rumore de Mazarinii  
è regno Galliarum eiectione, Hispani eun-  
dem summo favore prosequi deprehen-  
debantur, persuasum sibi habentes, vel ita  
ipsum ab alienato à Gallis animo, ad suas  
partes pellici magno suo emolumèto pos-  
se. Hinc famâ constat, literisq; proditum  
exstat, Serenissimum Archiducem Leopoldum  
Guilielmum Julio commearûs di-  
ploma impertiisse, per quasvis Hispaniarû  
Regis obsequio parètes terras, ultrò citròq;  
proficiscendi, misso ad Eminentiam eius  
Neoporti Inspectore cum 150. Croatarum  
turma, qui in itinere Bonnam conficiundo  
præsidio esset. In primis autem Clerus Ec-  
clesiæ metropolitanæ apud Leodienses,  
dùm Cardinalis urbem in Mosa flumine  
præterveheretur, missis deputatis collo-  
quium cum ipso habuit, machinis fulmi-  
nalibus interea displosis, & civibus in flu-  
minis ripa sua etiam sclopeta gratabundè  
exonerantibus.

Sextâ Aprilis, Mazarinius Briclam, quæ  
est

Anno 1651. est in Coloniensi Archidicæsi, assecutus est, ubi locorum Serenissimus Elector ei excipiendo magnos apparatus fieri curaverat. Nec minus illi honoris contigit Bonnæ, in quam urbem, inter festivos disiectorum tormentorum iactus, perhonorificè introductus est. Quamdiu autem his in partibus commoraturus sit, illud suo tempore historiæ adnotare non præteribimus.

Parisiis interea, mense Februario adhuc, Regina nomine tres diversæ Declarationes in Confessu Parlamenti exhibitæ sunt, quorum una innocentiam trium restitutorum Principum; altera autem *ἀμνηστία* universalem in se continebat, omnibus illis concedendam, quotcunq; horum causa arma corripere ausi fuerant: & hæc utraque declaratio, postquam publicè lecta esset, à Parlamento denique communi omnium suffragio approbata est.

Quod autem tertiam, quam diximus, declarationem Regina concernit, vi cuius quicumque extranei in posterum à consilio regio, & illorum in istud admittance excludebantur, Parlamentum omninò reiecit, irritamque haberi voluit, propterea quòd articulos tres continebat, qui minus ad ejus gustum esse intelligebantur:

pri-

primus erat, quo Cardinalis Regis amicè Anno  
fidelis nuncupabatur: alter, quò insolentia plebis, exortæ in Republica turbæ fal- 1651.  
sò adscribebantur: postremus autem, quò  
deprehensum fuit, Cardinales à gerendis  
Magistratibus, quod quidem instanter pe-  
ritum fuerat, neque dum vacare iustos esse.  
Hinc unanimi consensu decretum, autho-  
rem omnis mali, Regis amicè fidelem ne-  
quaquam agnosci debere; nec etiam vul-  
gum plebemve, quin potius Cardinalis  
ambitionem & malam administrationem,  
eiusmodi turbarum atque confusionum  
causam existere: quapropter postrema  
hæc declaratio correctæ, constitutumque  
est, neminem Cardinalium, neque indi-  
genam neque peregrinum, in posterum  
administrandis rebus, statum regni con-  
cernentibus, adhiberi debere.

Circiter illud tempus, Nobilitas Galli-  
cana Convocationem Ordinum regni Ge-  
neralium per trecentos amplius delegatos  
petiit, idq; ad abolendas varias illas con-  
fusiones, in regno exortas, atque ad obti-  
nenda pristina sua privilegia: Cui ur-  
gendo negotio, ante nominati mandatarii  
Parisiis, in monasterio Patrum discalcea-  
torū hospitium quoddam conduxerunt,  
ubi

Anno  
1651.

30

*Mercurii Gallobelgici*

ubi in posterum deliberationes suas bis in septimana instituerent.

Ad diem Mercurii 5. 15. Martii, Collegium Cleri & Nobilitatis Deputatos suos denuò congregari fecit, ut unionem propositam inter se commutarent: apud quos proinde conclusum est, in proposito semel cœpto firmiter consistere, & quam supra scripsi. Statuum regni cardinalium conuocationem omnibus modis urgere. Illo ipso mane & Parlamentum congregatum est, eo fine, ut dictum conventum Nobilium disturbari faceret, & contra illum decerneret: qua in re tamen, ob absentiam Ducis Aurelianensis, nihil tum concludi potuit.

Veneris 7. 17. hujus Parlamentum, congregatione nova instituta, per delegatos nominatum ducem instanter rogavit, ut interposita auctoritate sua omnibus modis caveri iuaret, ne Conuentus Nobilium in deliberationibus suis pergat: quòd si autem continuari contingat, ne Celsitudo sua detrectet, in congregatione, quam Parlamentum ad proximam Mercurii 12. 22. Martii instituet, comparere, media cum cæteris membris excogitatum, quemadmodum sæpiùs dicta

Con-



Concio Nobilitatis quassari possit : ad Antio-  
quod Aurelianensis Nobilium mandata- 165 18  
riis significari mandavit, hanc esse Regi-  
næ sententiam & mandatum, ut absque  
ulterioribus deliberationibus conventum  
solvant, & ad suos quisque domum re-  
vertatur.

Et licet in hoc ipso negotio, Condæi  
quoque authoritas interponeretur, Re-  
gina etiam, ad leniendum importunè  
instantium animos, nihil non faceret, se-  
curitate data, Regiam suam Majestatem  
curaturam, ut in ipsorum satisfactio-  
nem, Ordines regni primarii futuro Oc-  
tobri convocentur; Nobilitas tamen e-  
jusmodi blandimentis minime acquievit,  
verum unam prætensionem post alteram  
in medium proferens, in priori petito per-  
tinaciter hæsit.

Die Solis 9. 19. eiusdem, Aurelianen-  
sis, Condæus & Longevillanus, Regi-  
nam invisebant, cui Aurelianensis præ-  
cæteris significavit, congregatos Nobi-  
litis Deputatos, Procerum regni con-  
ventum Julio mense desiderare, nec hunc  
in Octobrem dilatatum velle, quando-  
quidem verendum, ne Rex, qui majo-  
ritatem mense Septembri assecuturus sit,  
ejus-

Anno  
1651.

eiusmodi convocationem Statuum infringat, imò omninò ad nihilum redigat: hinc (ut rem uno verbo dicat: ) Nobilitatem rem ita, nò verò aliter factam velle. Ut verò ita fiat, se Aurelianensem, & Principes, quorum interfit, rectum & æquum censere, idque ideò, ut hac via confusionibus obortis tandem aliquando obviam procedatur. Ad quod Regina respondit, satis se nequire mirari hunc eius discursum, maximè si consideret, ipsum, & cæteros Principes, in proxima deliberatione sponte consensisse, ut mu'toties dicta Convocatio Ordinum mense Octobri demùm instituat; quod cum citius fieri non velit, neminem sibi persuasurum esse, ut ab opinione firmiter cœpta resiliat.

Institit verò Condæus, obiiciendo, Verùm, Clementissima Domina, considerate quæso & perpendite, quam facile accidere possit, Nobilitatem Parisiis maiores turbas dare quam sua Majestas, aut alius quisquam sibi imaginetur. Id quod & Longevillanus confirmavit, addendo, numerari in urbe Parisiensi ex Nobilitate ultra quingenta capita, ne quid dicatur de illis, qui adhuc venturi sunt. Vehementi iracundia ad hæc exardere Regina visa est. undè conversa ad Condæum, illi dicebat,  
Quid?

Quid ? De seditione vos loquimini? Anno  
 Vosne eritis ille, qui ejusmodi homi- 1651.  
 num egregiorum Ducem se præbebit?  
 Volo sciatis, & Regem, & me, & quos-  
 vis Regiæ suæ Maiestatis sincerè fide-  
 les, potiùs morituros quam in hoc con-  
 sensuros esse: Quibus dictis, à Condæo  
 secessit.

Postero die Lunæ 10.20. Martii, con-  
 vocari iussu Parlamento summus Præ-  
 ses, præsentibus omnibus aperuit, pro-  
 certo se exploratum habere, in urbe Lu-  
 tetia sanguinolentam coniurationem co-  
 qui, nec se scire, qua ratione nascenti  
 malo properè occurratur, id quod u-  
 niversos metu non tenui perculisse vis-  
 sum est. Unus autem ex Consiliariis  
 hoc responsi dedit: Quis est ille, qui  
 exercitum Israelis turbet & dissipet; ni-  
 si vos idem estis? Ad quod Præses re-  
 plicuit, cum tempore & locus prohi-  
 beant iam, alio se tempore quæstio-  
 nem hanc exoluturum esse. Illa ve-  
 rò die nemini hominum accessus ad  
 Reginam patuit, idque ob nauseam,  
 quam pridie ex Condæi colloquio con-  
 traxerat.

Considerato itaque à parte regionum,

G

has

Anno  
1651.

has & similes prætensiones Nobilitatis  
nimium extendi, ita ut exinde authori-  
tati regiae detrahatur, & redditibus an-  
nuis aliquot milliones præcidantur, ma-  
xime si res ex voto petentium succedat;  
nec tamen hi, Reginae & Parlamenti  
contradictionibus nihil obstantibus, à  
petitis abstinere vellent; quapropter  
Dux Aurelianensis interventu suo rem  
apud Reginam eò deduxit, ut Nobili-  
tas promissioni antè factæ acquiescens,  
Convocationem regni Statuum in octa-  
vum Septembris differri permiserit, ut-  
pote in illam diem, quæ à Regis maio-  
ritate fuerit proxima: quo factò, etiam  
hæc rixa cessavit.

*Turen-  
nius exer-  
citum  
ab Hispa-  
nico clan-  
culum se-  
parat.*

Hac lite composita, cum Hispanis  
vel de induciis in certum tempus, vel  
de pace ipsa reducenda, agi cæptum  
est, at frustraneo successu. Nemini au-  
tem, pendente eiusmodi tractatu, fortu-  
na pulerius favit, quàm Turenno Cam-  
pi-Marescallo, cui interea tantum tem-  
poris datum est, ut exercitum residuum  
suum (octo legionum pedestrium, & equi-  
tum mille, cum cohorte prætorica una, & a-  
lia hippotoxotarum Turennoianorum,  
quod universum agmen vigilum Præfectus  
Gene-

Generalis Rochepere imperio regebat) in Anno  
Galliã trajicere potuerit. Hi igitur prope 1651,  
Malmediam relicto Hispanorum exercitu,  
infra Treviros Mosellam transierunt, quos  
licet Hispani, ut & Lotharingicæ legiones  
ad memoratum usque flumen persequerentur,  
nihil tamen opera dignum gerere valuerunt,  
nisi quòd levibus aliquot præliis, fortuna occumbentium numerum ferè  
semper æquante, concertatum fuisse perhibeant.

Die Mercurii 23. Aprilis, 3. Maij, Parisios  
Turennius, & cum ipso Marchio quoque *revertitur*  
Silleræus, (cujus fideli opera in capitulatione,  
inter Hispanum & Turennum Stenaviæ inita,  
usus fuerat) Lutetiam Parisiorum reversus est,  
& adhuc eo die Ducem Aurelianensem,  
& Principem Condæum, qui ipsum perhumaniter  
exceperunt, & lautè tractarunt, invisit.  
Cum verò Regina Condæo significaret,  
non eam suam fuisse mentem, ut Turennius  
urbem rectà ingrederetur, verùm Chantillii  
nonnihilum commoratus, Regis & sua  
mandata expectaret: Cui Princeps respondit,  
nihil commoratione opus fuisse, siquidem  
Marscallus crimen læsæ Majestatis nullum  
incurrerit, nec

C a      quid-

Anno  
1651.

quidquam contra servitia Regis admiserit: hinc Mercurii 7. 17. Maij in Parlamenti Senatu declaratio Regia lecta, & ex more inscripta est, vi cuius Ducissa Longevillana, & saepius nominatus Marefcallus, à commissis perpetuò absolvuntur.

Tertia Aprilis Nov. Styl. iussis à regio sigillorum Custode tolli sigillis, Regina eadem supremo Parlamenti Præsidi commendavit: qua ignominia affectus prior, ruri posthac habitare secum constituit, reverti ad officium atque in urbem detrectans, cum propterea à Duce Aurelianensi compellatus fuisset. Hoc factò, novus hic sigillorum Custos regiam illam declarationem continuò approbavit & obfirmavit, vigore cuius in posterum quicumque Cardinales à consiliis secretioribus facessere jubentur: id quod eius antecessor recusavit, absque authoritatis regiae diminutione eiusmodi quid fieri non posse prætendens.

Nec graviter minus ferre videbatur Aurelianensis, quòd Regina, se inscio, antedicto Præsidi sigillorum custodiam demandasset: unde etiam illi imperavit, ne absque suo præscitu illis quaqua in re uteretur: qui tamen eiusmodi Ducis

cis

çis imperio nihil territus, multas Scrip- Anno  
 turas sigillavit, ac postmodum Reginae 1651.  
 Sigilla iponte restituit, quæ res id com-  
 modi habuit, quòd eodem die Aurelia-  
 nensis cum Regina in gratiam redierit,  
 eandemque inviserit, id quod intra de-  
 cendium factum non fuerat. Munus  
 autem custodiendorum sigillorum Se-  
 quierio Cancellario postmodùm datum  
 esse, Parisiis relatum accepimus, qui Regi  
 duodecies centena librarum millia mutuo  
 daturus erat.

Ad diem 8. 18. huius, Burdegalæ *A-Tumultus*  
 quitaniæ sive Gasconiaë metropole, novus *Burdega-*  
 iterùm tumultus concitabatur, quòd illa *la novus*.  
 die Reginae mandatu summus eius Par-  
 lamenti Præses, & Advocatus Genera-  
 lis, qui nunquam non Ducis Espernonii  
 partes summopere fovebant, Parlamen-  
 tum convocari mandassent, eidem ac ci-  
 vitati persuasuri, ut inita cum prædicto  
 Duce reconciliatione, ipsum Guberna-  
 torem suum re-agnoscerent. Hæc  
 res ut apud vulgum innotuit, magno nu-  
 mero & furore in Curiam proruit, &  
 Parlamento significari iussit, perire se  
 malle, quàm Espernonii imperiis in poste-  
 rum parere: qua mente sua exposita,

ut porrò monstrarent, quo in Ducem illum animo essent, mox etiam quascunque suspensas tabulas, in quibus Espernonii, & aliorum Scabinorum, quos sub regimine suo creaverat, effigies representabantur, ex moræ impatientia in multas minimasque particulas confregerunt, correptisque armis, citiùs ea se non deposituros iurarunt, quàm de certo quodam alio, & sibi quidem arrisuro Governatore provisum fuisset.

*Componi.* Ad compescendum igitur, sedandūque  
*eur, Prin.* hoc *Ἰσχυρὸν πολυκέφαλον*, cùm media nullo  
*cipe Con-* la essentialia, nisi ut ferociæ eius cedatur,  
*deo in Gu-* iustus est Espernonius, ut, quam in hoc  
*bernato-* regimen habebat prætensionis, suo suorum  
*rem A-* rumque hæredum nomine publicè requiritania  
*constituto* nuntiaret, id quod etiam, die Solis 14.  
 4. Maii, ita effectui datum perhibetur. Biduo autem post, Generosissimus Princeps Condæus magno Burdegalensium applausu Aquitanix Governator proclamatus est, atque ob id Regiæ suæ Maiestati consuetum iuramentum præstitit.

Post ingressum Iunii, Parisiis honesta quædam fœmina cum ancilla sua, è Gynæceo Principissæ Pfalzburgensis, propterea arresto detentæ sunt, quòd habitum



rum muliebrem mentitę, illum sumissent, Anno  
quo ut solent, qui peregrinationem reli- 1651.  
gionis ergo Compostellam in Hispania  
suscipiunt, apud quam multę literę in-  
ventę sunt, Regi Hispaniarum tra-  
denda.

Paucis diebus antę, Condęus Turen-  
nium Campi - Marefcallum munere ho-  
norario affecturus, centum quinquagin-  
ta millia  $\text{lb}$  illi offerri fecit: quod donum  
Turrenius accipere recusans, Principis  
Condęi Celsitudini responsi nomine si-  
gnificari mandavit, nihil se tanto munere  
dignum gessisse: si autem quid servitii pre-  
stitit, id ex sincero affectu & amicitia,  
non verò spe lucrandi factum esse. Ducem  
quoque Aurelianensem, modernum Sco-  
torum Regem quibusque tentoriis atque  
impedimentis, quorum antehac usus in  
castris ante Grevelingam fuerat, liberali-  
ter donasse, literis Parisiensium de 6. Maii  
confirmatum habemus.

Similiter eodem tempore, habito su-  
premo regni senatu, Reginae matri in do-  
talitium promissa sunt, Principatus Seda-  
nensis, Comitatus Pietaviensis, Castellum  
Theodorici, & loca alia plura: ob quam  
rem in Parlamento Declaratio verifica-  
ta est, ut Regina post majoritatem  
Regis

Anno  
1651.

40 *Mercurii Gallobelgici*

Regis horum locorum possessionem apprehendat.

Dein Portugalliae Rex, per Legatum suum Parisiis existentem à Rege Galliarum petiit, ne cum Hispano pacem quoquo modo iniret, sub cuius conditionibus non & ipse comprehendatur: de qua recùm certus esse possit, curaturum se, ut Coronæ Galliae singulis annis, pro sustinendo bello, decies centum millia aureorum persolvantur, Vtrum vero hic Orator etiam fuerit exorator, de hoc nihil adhuc certi referre Mercurius potest.

Adhæc mense hoc Principes, Condæus ac Contiùs, fratres Germani, cum Principissa de Guise, utrasque filias natu minimas Ducis Aurelianensis ex sacro fonte baptismatis susceperunt, quarum uni *Louyse Margarine de Vallois*, alteri *Françoise Magdaleine d' Alençon*, nomen inditum. Quarum illam brevi post Duci Anguinio, Condæi filio primogenito, nupsisse, infra, ubi de matrimoniis hoc semestri contractis dicetur, pluribus audiemus.

Die Mercurii 5. Julii nov. st. ubi jam advesperascerat, Condæus denuò monebatur, ( id quod literis Parisiensium de dato 8. eiusdem confirmatum accepimus: ) in  
man-

mandatis datum esse, hospitium eius sex- Anno  
centorum equitum manu, & quinque tur- 1651.  
mis Prætorianorum cingere, ipsumque ca-  
ptivum tenere, quibus insidius intellectis,  
Condæus nulla mora, assumpto trium dun-  
taxat equitum comitatu, circiter secundam  
ante diluculum itineri se committens, in  
Castellum suum *S. Maur* se recepit, quem  
quidem frater eius Princeps Contius, se-  
cutus est, septima autem Julii Parisios re-  
versus, Condæi fratris nomine literas Par-  
lamento exhibendas attulit: quis autem  
verus earum tenor fuerit, & quid Parla-  
menti Senatus ad illas responsi dederit,  
cùm adhuc nihil tuti habeamus, quare  
historiæ huius supplementum, Mercu-  
rius postremo libro Tomi huius vigesi-  
mi octavi reservat, atque in his, quæ ha-  
ctenus de rebus in Gallia extra bellum  
gestis, relata sunt, dicendo fessus acquie-  
scit.

Sequuntur ea, quæ interea temporis in- *Belli, inter*  
ter Hispanos ac Gallos, in Belgio, Italia & *Hispanos*  
Catalonia bello gesta sunt: de qua mate- *& Gallos*  
ria licet nihil singulare habeamus, quod in *in Belgio,*  
medium proferamus; historiæ nostræ ra- *Italia &*  
tio tamen exigere videtur, ne titulum hunc *Catalonia*  
seu Rubricam silentio prætereamus, sed ea *gesti, ultra-*  
tantùm paucula adnotemus, quæ alicuius *rior nar-*  
*ratio.*

C S

mo-

Anno  
1651.

momenti censebimus, idq; vel ideò, quòd hoc peractò labore, de novo quodam bello inter Serenissimum Septemvirum Brandenburgensem, & Illustrissimum Principem Palatino-Neoburgicum exorto, pluribus dicendum restat.

Ut igitur initium fiat de bello, quod Hispani cum Gallis in Belgio & Flandria gerunt, die 5. 15. Januarii Legatus *Barthol* dictus, Martis Lotharingici Duce *Grotio* *vigilum* *Præsecto* *Generali* strenuus sectator, & impiger miles, haut procul ab oppido *Espinal*, quindecim peditum Gallicorum cohortes, quæ in duobus prædiis hospitabantur, clade penè internecina delevit: quotquot enim ferro non perierunt, Vulcanus sub relictis, postquam omnia impedimenta conflagrarunt, castigavit, facinus prædicatu tantò dignius, quòd Lotharingici in commilitio suo tunc non nisi 60. equites, pedites autem tantùm 30. numerarent, Vice autem versa, 26. Ian. Marecallus *de la Ferte* oppido *Espinnal* potitus est, arcisque è tormentis oppugnationi initium fecit, quo verò successu, apud nos adhuc ignotum est.

Mense Februario parem ferè fortunæ novercantis ictum expertæ sunt turmæ equitum duæ ex Schüziana legione, quibus  
hospi-

hospitium in oppidulo *S. Arnold* contigit. Anno  
 Nam, cum de hoc ad antedictum Grotium <sup>1651.</sup>  
 delatum fuisset, continuo ducentos equi-  
 tes, & pedites centum, V Valderfangio il-  
 luc dimisit, qui loco tempore nocturno  
 scalis superato, quotquot armati occurrere  
 ausi fuerant, contrucidarunt, reliquos au-  
 tem, cum quibus mitius actum, post egre-  
 gia obtenta spolia, & ducentorum equo-  
 rum uniusq; vexilli equestris ablatam præ-  
 dam, captivos abduxerunt. Quo perpe-  
 trato facinore, vigilum ille Præfectus Ge-  
 neralis decem legionibus, & machinis  
 fulminalibus duabus, ad Mosellam con-  
 tendit, quem fluvium etiam 14. 24. eius-  
 dem ad Lyluriam transgressus est, suas ni-  
 mirum, cum reliquarum in agro Luzen-  
 burgico existentium legionum viribus,  
 coniuncturus. Ex adverso, spinosissimus *de*  
*Rosis*, senescente Februario ter mille sele-  
 ctioribus equitibus in Brabantiam & Han-  
 noniam excurrens, cum rapinis & latroci-  
 niis latè omnia complevisset, horrenda in-  
 colis vestigia reliquit: Lotharingici autem  
 interea in Leodiensi Diœcesi, & Ducatu  
 Juliacensi, hyberna sibi vi quærere ammo-  
 licebantur.

Mense Martio Ruswurmiam in militia  
 Regio Gallica vigilum Magistrum Gene-  
 ralem

Anno  
1651.

ralem ( quem mense Augusto, anno 1650. à Lotharingicis interceptum, duobus præcedentibus libris huius Tomi retuli, & à quo amplum sarislytron exactum fuerat ) tanto fortuna favore prosecuta est, ut ex Bitschianæ arcis custodia, qua hæctenus custoditus fuit, in libertatē se asserere potuerit, saluus cum omnibus suis Argentoratum assecutus.

Hoc circiter tempore, præsidium Theodoni-villæ Gallicum provinciam Luzenburgensem notabili executione militari castigavit. Lotharingici arcem Rochefordianam improvisè oppræsserunt, Turreniani autem Stabloam & Malmedurium aggressi sunt, in quibus vini, cerevisiæ frumentorumque ingens proventus repertus est. Lotharingicæ copiæ, cum in Comitatu Ravensteinensi quinque millia florenorum numerata accepissent, relicta terra illa, vicinas regiones hostiliter discurrendo graviter afflixerunt: qui ubi in Coloniensium vicinia quoque currus aliquot, mercibus omnivariis onustos, & ex Brabantia venientes, dispoliassent, mox in Leodiensium agros progressi, incolas illos hospitiiis præferunt. Dux autem Lotharingiæ, tùm Bruxellis vitam degens, tam adversa valetudine conflabatatur, ut de eius revalescentia  
Medicos

Medicos dubitasse, fama ad nos perlatum Anno  
 sit. 1651.

Inter has turbas Campi Marefcallus Gallicus, Dominus *de la Ferre*, eiusq; Locumtenens, Dominus *de Morelle*, Theodonis-villæ Gubernator, subsidio quater milium armatorum oppidum *VValderfangen* receperunt: quod cum miles diripuisset, & munitiones inutiles reddidisset, cum universo commilitio iter per Metensium agros emensi, illa in vicinia *Castella*, *Sirsbergam*, *Becklingiam*, *Dillingium*, & loca alia minoris momenti, quæ Lotharingici tenuerant, occuparunt.

Dies me deficeret, hic loci describere, quàm insolenter Gallicus miles, tum in hospitiiis tum alibi locorum, maxime autem in Campania egerit. Sunt, qui conqueruntur, horum sociorum aliquot turmas *Durocotori*, *Rhemensium* suburbium diripuisse, & nonnullis ædibus faces admovisse. *Tricassu*, quæ Campaniæ superioris urbs est, cives recentibus injuriis *Rossianorum* irritati, armata manu illos de improvviso aggressi sunt, & tres cohortes dissiparunt. Incolæ oppidorum *Meaux* & *Senlis* præsidia sua vi expulerunt, quorum aliqui ad *Charontis* cymbam ablegati. In primis autem Campaniæ Nobilitas, colle-

Anno  
1658.

collecta circiter 300. manu, legionem Pal-  
vianam, auxilio agrestium, & quatuor ma-  
chinis Tricassio advectis, repentina incur-  
sione oppressit, ultra centum mactavit, &  
omnibus impedimentis emunxit. Simile  
quid perpetratum est à Nobilitate provin-  
ciam d' *Auvergne* incolente, de qua literis  
Paris. 14. 14. Junii exaratis refertur, quòd  
hi etiam militum enormi insolentia invita-  
ti, integram legionem adorti sint, ex qua  
circiter ducentos ad Orcum miserunt: Tri-  
bunum autem, hominem equestri digni-  
tate præditum, & sex Centuriones, capti-  
vos ad oppidum *Rion* deduxerunt, ubi le-  
gionis Præfectus capite plexus est, Centu-  
riones verò vitam laqueo finierunt.

Nec minus legiones quædam *Rosianæ*,  
equitum una, altera dimacharum: item le-  
gio equestris tribuni *Rusvurmii*, cum  
*Rethschinii*, militum tribuni, pariter e-  
questri, cum exploratum ipsis esset, *Mar-*  
*chionem du Prasin* quinquies mille agre-  
stium, & equitum quingentorum agmen  
conduxisse, animo illas opprimendi in  
pago *Omien*, iuxta *Tricassum* in *Campa-*  
*nia*: quòd nisi exolutis stipendiis, Regi mi-  
litare amplius detrectarent, rebus suis illi-  
cò convasatis, festinè ad *Jarvillam*, quæ  
*Marniæ* fluvio adjacet, concesserunt, ut in  
alteram



alteram fluminis ripam transgressi, inhi- Anno  
diantium manibus elaberentur. Quan- 1658.  
doquidem autem loci huius incolæ vehe-  
menter se opponebant, & Rosianis sclo-  
petorum discussionibus multum negotii  
facelebant, necesse erat, ut dimachæ ex  
equis descendentes pontem versatilem a-  
perirent: in quo negotio dum occupantur,  
cædes aliqua inter agrestes editur, reliqui  
autem in templum se recipere compellun-  
tur, quod injecto Vulcano, cum octogin-  
ta tuguriis in cineres abiit. Hæc de mili-  
tum Gallicorum exorbitantia.

Expeditionem ipsam quod concernit, *Aumon-*  
regius exercitus Gallorum juxta Ambia- *tius exer-*  
num lustrandus erat, & huic Marefcallus *citui Gal-*  
*d' Aumont*, tam in Flandria quàm Campa- *lico sum-*  
nia hac vice quidem summus Imperator *mus Im-*  
præfectus, quem exercitum armatorum *perator*  
duodetriginta millibus tunc constitisse: *præficitur.*  
constans fama retulit.

Dum itaque primarius Gallorum exer-  
citus in Flandriæ confinibus hærens, tribus  
circiter milliaribus ad Atrebatum proten-  
ditur, & locis quibusdam, in primis autem  
Basleæ & Bethuniæ bellè providet, Hi-  
spani quoque futuræ expeditioni sese pau-  
latim accinxerunt, ex quibus Marchio  
Sfondratanus 6. Junii militum suorum de-  
lectum

Anno  
1651.

lectum haberi mandavit: quo facto, legiones illæ tormentis lex, curribus autem quadraginta, pulvere nitrato & alio apparatu castrensi onustis, Rogefurtum, atque ulterius in Flandriam moverunt, quas Marchio octava eiusdem secutus, certo quodam loco inter Ariam & Audomari fanum castra metatus est, cum ibi decem legiones pedestres, & equitum turmæ 52. cum machinis decem convenissent, præter quas copias adhuc circiter 700. equites, qui equis destituebantur, Mervillæ ac Stegeræ ad Lisam remanserant: primarius autem exercitus Hispanorum intra Malabugium & Duacum castris locum disposuit: quò ut se conferret, serenissimus Archidux ad diem Lunæ 26. 16. Junii Bruxellis discessit.

*Flandria* Interea Galli, qui prope Stegeram hæ-  
*per Gallos* rebant, illa in vicinia Lisam fluvium tribus  
*affligitur.* pontibus junxerunt, indeque Flandriæ  
Comitatum incursionibus miserabiliter  
afflixerunt, quamobrem Marchio Stondratanus Ariam, Audomari fanum, Armen-  
tirium, & loca alia plura, ampliori præsidio  
communiit, Archidux autem vim omnem  
exercitus juxta Rysseliam cogi, quò ut se  
etiam conferrent legiones ex Germania  
veni-

venientes, mandavit. Tantum de Flan- Anno  
drico bello. 1651.

Facimus accessum ad describendum *Italica.*  
res in Italia gestas, ubi hoc semestri nihil  
omnino memorabile accidit. Quando-  
quidem autem in priori libro secundo pag.  
55. dictum est, Pro-Regem Neapolita-  
num, Comitem Ognatum, confecta felice  
citer munimenti Portolongone obsidio-  
ne, cum triremibus in patriam redisse, jam  
porro describemus, quantum ab illo tem-  
pore operæ in cogendo novo exercitu po-  
suerit, ut felicissimum Italiae hortum, ab in-  
felici Gallorum lolio ac zizania tandem  
aliquando purgaret.

Ad cogendum igitur tecentem milia-  
rum aliquot millium armatorum, nullis  
omnino sumptibus pepercit, in quam rem  
etiam ex Hispaniis ingentem vim auri ac-  
cepisse, famam sparsum est. Hinc non levis  
apud omnes coniectura erat, magni mo-  
menti expeditionem futuram, quod Pro-  
regem cum quibusdam frumentariis trans-  
egisse scirent, qui in usum exercitus futuro  
vere, frumenti saccos 30000. & vini urnas  
22000. procurarent; in quo urgendo ne-  
gotio, perfideli opera usus est Principis  
Ludovisi, qui Romæ numerofo milite  
conscripto, clanculum Neapolim trans-  
D misit,

Anno  
1651.

misit, prætendens, horum opera in provincia sua Venosa, adversus proscriptorum incursiones sibi opus esse. In primis autem Pro-regi quidam se stitit, qui promisso honorario effecturum se promisit, ut panis biscoctus sive nauticus longo tempore, atque aqua in sex menses potabilis conservari possit: se verò spatio sex dierum tormentum æneum ex levi mixtura futurum: cuius hominis oblationem Proregi vehementer acceptam fuisse referunt. Qui verò expeditionis huius successus futurus sit, tempus & eventus manifestabunt.

*Galli Casaleæ & reliquo suo statui in Italia, provident*

M. lientibus talia Hispanis in Italia, Galli interim Casaleæ, præter tria millia militum, quæ jam antea præsidii nomine alebat, de sexcentis adhuc equitibus, & 150000. Coronatis providerunt. In Pedemontium quoque ex Gallia emissæ sunt, 260. peditum cohortes, equitum 122. ex quo commilitio circiter 3000. Tanarum transgressi, ante Alexandriam pecus abegerunt, Monacum deinde festinantes, urbem illam contra Hispanos, quos partim Neapoli solvisse rumor erat, protectum.

Mense Junio, Galli & Sabaudi Roccam Grimaldam diripiebant, quod est Stratus

tus Mediolanensis oppidum : intelligentes autem, mille equites in itinere esse, qui 1651. hostes ab ulterioribus machinationibus accerent, ad latibula sua reversi sunt.

Hoc circiter tempore Mediolanen-  
 sium Gubernator, Marchio de Carace-  
 na, militem Hispanicum suis imperiis  
 parentem in campum eduxit, & iter  
 12000. armatorum signis uti fama est, A-  
 lexandriam direxit, quod exploratum ha-  
 beret, Gallorum atque Sabaudorum con-  
 federatum exercitum illuc quoque con-  
 cessisse, cum quibus equitum manipuli  
 duo ex civitate in quinque horas confli-  
 xerunt, cæsis vulneratisque ex utraque  
 parte circiter quadraginta. Idem hic  
 miles Castellazzæ, uno ab oppido millia-  
 ri, ( quia coloni in turrin se receperant,  
 & pertinaciter resistendo octodecim Gal-  
 los saxorum ictibus trucidaverant: ) tem-  
 plum, & omnia eius altaria Vulcano con-  
 secravit, ac tandem Rivalentæ, Bormidiæ &  
 oppido Rocca-Grimalda castris hæsit, id  
 quod antedicto Gubernatori hostibus oc-  
 currendi aniam præbuit: Nunc Julii cum  
 commilitio regio juxta Marsiliam conse-  
 dit, quo tempore confederati, numero  
 circiter 6000, inter oppida Asti & An-

Anno  
1651.

nene castra habebant, Hispanorum adventu compulsi, ut sub tormentis urbis Albe consisterent: tum verò Hispanici atcem Costiolam, post levissimam saltentrium ictuum tormentariorum oppugnationem, in deditioem acceperunt, ex qua præfidiarii, ducenti numero, ad suos liberè dimissi sunt.

Gallorum  
apud Ca-  
talonien-  
ses perver-  
sa conditio

Quod verò ad Statum belli in regno Cataloniæ attinet, Gallorum res odio incolarum quotidie in peius ruere videbantur, & conditio eorum indies deterior emergebat, ita ut bellum diutius sustinere vix valerent, ne dicam hostile quid adversus Hispanos moliri.

Tortosæ expugnationem, de qua in præcedenti libro relatam extat, consecuta est, castri *Alen* interceptio, quod quadraginta excubitores Gallos nutriebat, & Hispani aliquot navibus, frumentum & alia Barceilonæ subvecturis, potiti sunt, unde ex illa urbe circiter 4000. hominum, ob annonæ difficultatem & pestem, ad alia loca concesserunt.

Martio mense Hispani, collecto circiter bis mille armatorum agmine, oppidulū *Brades* opprimere animoiebantur, quæ tamen in re fortunam machinationib. co-

tum

rum ita illuisse fama est, ut virtute mili- Anno  
 tum ac civium fortiter repulsi, circiter du- 1651.  
 centorum commilitonum jacturam passi  
 sint, inter quos Centuriones quinque fu-  
 erunt. E contra cives in oppido *Arbos*,  
 haut procul ab *Ilerda* seu *Lerida*, ducen-  
 tos Gallos jugularunt & ad Hispanorum  
 partes defecerunt.

Similiter *Momblanii* quadam Hispano-  
 rum incursione quicumque Galli ferro &  
 igni deleri sunt, non sine egregia opera u-  
 nitorum *Michelettorum*; qui focii cum  
 deinceps *Agernia* quoque vim afferre at-  
 tentassent, occidatis e commilitonibus  
 150. loco cedere compulsi sunt.

Illis diebus *Rosarum Praefecto*, tribuno  
*Megratio*, res quadam inopinata acci-  
 dit, dum in Hispanos, qui illuc praedatum  
 exierant, eruptione facta, ab iisdem non  
 solum clade quadam affectus, quin et-  
 jam a civibus munimento exclusus est, un-  
 de cum paucis duntaxat *Perpignianum* se  
 recepit.

Præter hæc in *Catalonia* hoc semestri  
 nihil memorabile accidit, nisi quod *Pari-*  
*siensium* literis sub dato 19. 29. Julij re-  
 latum accepimus, Hispanos exercitu cir-  
 citer 14000. armatorum ad obsiden-  
 dum

Anno  
1651.

dum Cerveram prope Ballaquieriū exiisse, quam urbē 1500. Galli, & numerosa agrestium multitudo, quæ illuc confugit, ad extremum defendere conjurarunt; inde Martinium, Gallici commilitii in illa provincia summum Præfectum, nullum non lapidem movere, ut obsessis in tempore subsidio veniat. De cuius rei eventu in sequenti libro plura & certiora annotabimus. Et tantum etiam de Catalonia statu satis dictum esto.

Nunc verò historiae series postulat, ut promisso nostro stantes, de bello, inter Serenissimum Electorem Brandenburgensem, & Illustrissimum Principem Palatinum Neoburgensem, nuperis diebus

*Belli, inter* contra omnium expectationem exorto, a-  
*Electore* liquid in medium proferamus; cui proinde  
*Branden-* describendo, hic loci aliquid temporis im-  
*burgensem,* pendere visum est.

*& Prin-* Postquam Serenissimus Elector Bran-  
*cipem Pa-* denburgensis mense Aprili huius anni,  
*latinum* cum Serenissimo etiam Saxoniae Septem-  
*Neobur-* viro, in arce Liechtenburgensi, tribus à  
*gensem su-* Torgavia miliaribus, congressum ha-  
*scitati,* buisset, atque inter se hi duo Principes a-  
*causa &* liquot diebus familiariter collocti fuif-  
*origo.* sent, etiamsi nemini innotescere potue-  
rit,



rit, ob quam causam hic conventus insti- Anno  
 tutus fuerit, & Elector Brandenburgensis 1651.  
 29. eiusdem illinc discessisset, Serenitas  
 sua cuius nomine ab aliquo tempore mi-  
 les in diversis locis conscriptus fuerat: )  
 in mandatis dedit, ut ex praesidiis, quae  
 in Marchia Brandenburgensi habet, cer-  
 ta ligna expedirentur, quorum opera in  
 futuro negotio commodè uti posset, licet  
 nemini penetratum fuerit, quoniam  
 sine hac omnia ab Electore instituan-  
 tur.

Quemadmodum autem ignem, à quo  
 fumus undiquaque erumpit, diù latere  
 posse impossibile est; ita & in hoc passu  
 facile patuit, in quem finem eiusmodi ap-  
 paratus bellici fuerint instituti, dùm Ele-  
 ctoris Serenitas bulla publica, cui nomen  
 erat *Brevis demonstratio, loco Manifesti, &c.*  
 omnibus notum fecit, quibusnam rationi-  
 bus commota fuerit, ut unum atque alte-  
 rum locum in Juliacensi atque Monten-  
 si Ducatu occuparet, cuius bullae re-  
 nor hinc sequitur:

D 4

Succin-

Anno  
1651.

Succincta Narratio, in forma  
Manifesti,

*Qua aperiuntur causa, ob quas Serenissime  
mus Elector Brandenburgicus, &c.  
motus est, unum & alterum locum in  
Principatibus, Juliacensi & Montensi,  
bello occupare.*

**P**ER Dei gratiam, Nos Fridericus Guilielmus, Marchio Brandenburgensis, Sacri Romani Imperii Archi Camerarius & Elector, Parthenopoleus, Borussiae, Juliaci, Cliviae, Montium, Stettini, Pomeraniae, Cassubiorum, Vandalorum, nec non Silesiae, Crostena & Jegetendorffi Dux; Burggravius Noribergae, Princeps Halberstadii & Mindenae, Comes Marchiae & Ravenspurgi, Dominus in Ravenstein, &c. vigore praesentium omnibus ac singulis notum facimus, Cum 29. Martij, anno 1609, Illustrissimus Princeps, Dn. Joannes Guilielmus, Dux Juliaci, Cliviae ac Montium, Comes Marchiae, Ravenspurgae & Moerthiae; Dominus in Ravenstein, nulla ex se relicta prole, diem clausisset, & tum aliquo tempore post Dominus Avus noster, Celsissimus Princeps, Dominus Joannes Sigismundus, Marchio Bran-

Brandenburgensis, Sac. Rom. Imperii Archicamerarius & Septemvir; Borussia, 1658. Juliaci, Cliviae, Montium, Stettini, Pomeraniae, Cassubiae, Vandaliae, Silesiae quoque, Crossenae ac Jägerndorffii Dux; Burggravius Norbergae, Princeps Rugiae, Comes Marchiae & Ravensbergae, Dominus in Ravenstein, &c. simulque Illustrissima Princeps, Domina Anna, Palatina ad Rhenum; Bavariae, Juliaci, Cliviae, ac Montium Dux; Comes Veldentiae, Spanhemii, Marchiae, Ravensbergae & Moersiae, &c. per suos respectivè Procuratores mandatarios, Illustrissimos Principes, Dominum Ernestum Marchionem Brandenburgensem, Borussiae, Stettini, Pomeraniae, Cassubiorum, Vandalorum, nec non in Silesia, Crossenae & Jägerndorffii Ducem; Burggravium Norbergae, Rugiae Principem, &c. ut & Dominum Guolfgangum Guilielmum, Comitem Palatinum ad Rhenum, Bavariae, Juliaci, Cliviae ac Montium Ducem; Comitem Veldentiae, Spanhemii, Marchiae, Ravensbergae & Moersiae, Dominum in Ravenstein, &c. possessionem Principatuū, Cliviae, Juliaci & Montium, aliorumque ad hos pertinentium Comitatum, atque eodem actu transactionem, Tremoniae, i. Maiinitam, apprehen-

Anno  
1651.

hendissent, in ipsos demum, per antedictos eorum Mandatarios, Nobilitatemque ac Civitates præfatarum provinciarum certas Reversales, tam Religionem, quam alia Ecclesiastica ac Politica negotia concernentes, conscriptas atque conclusas esse: in quibus præter cætera ordinatum legitur, Religionis Romanæ Catholicæ, & cuiusvis alterius Christianæ professionis exercitium publicum usumve, ubivis locorum continuari, manuteneri atque admitti posse ac debere, ita ut nemo quisquam hoc in passu in conscientia atque exercitio suo turbetur aut molestetur: id quod etiam magno zelo ac fervore observatum iri, ac quibusvis contravenientibus omni possibili modo se restitutum esse, vel ipsius Domini Palatini Neoburgensis Dilectio, anno 1614. quo ad Ecclesiam Romano Catholicam transgressa est, per diplomata publica, Düsseldorfii 14. Junii anno eodem typis evulgata, non solum asseveravit, sed & adhuc in Xantoniensi Tractatu, eodem anno 1614. 12. Novembris frequentato, antedictis Reversalibus adhæsit, unde factum, quod utraque Corona Galliarum atque Magnæ Britanniarum, nec non fœderati Belgii Ordines Generales, omnem illam tractationem

tio.

tionem super eiusmodi fundamento fun- Anno  
daverint. 1651.

Et licet postmodum vigore eiusmodi  
Reversaliu[m] utrorumque Dominorum  
Procuratorum mandatariorum exerciti-  
um Religionis Evangelicæ, etiam in illis  
locis, ubi antea nunquam fuerat, introdu-  
ctum esset, ac Domini Palatini Neobur-  
gensis Dilectio provinciæ Ordines sub-  
ditosque de hac re à parte securos reddi-  
disset, successu tamen temporis, promissio-  
ne hac eius sancta, manu etiam ac sigillo,  
nihil obstantibus, subditos Evangelicos  
sævissima vehementissimaque persecutio-  
ne multavit, dum non solum publicum &  
privatum religionis exercitium, & quod ei  
adhærere solet, sub gravium pœnarum  
multarumve comminatione ubivis inter-  
dixit; Prædicantes sive Concionatores in  
exilium eiecit; loca concionibus habendis  
destinata occlusit; templa, cum redditibus  
ad illa pertinentibus, occupavit; sed etiam  
præmemoratos subditos Evangelicos, ob  
infantes ritu Evangelicorum baptizatos,  
contracta in hunc morem matrimonia,  
conciones habitas & auditas, gravibus  
multis oneravit, imò Concinatorum au-  
ditorumque nonnullos cæcis carceribus  
mancipavit, ( quorum duo emeriti Eccle-  
sia-

Anno  
1651.

siasta, unus Coloniae, alter Keyfersvvertha, inter custodiarum squalores defecerunt) quin & in aliquibus civitatibus civium iura & inquilinatum ipsis denegavit; à consulatus, munerumque aliorum graviorum dignitatibus omninò exclusit, usque eò in illos serviri permittens, ut iure sepulturae hereditariae, quae in caemeteriis quae templis vel planè privarentur, vel ad minimum certa pecuniae summa numerata illud quasi redimere cogerentur, quin & in aliquibus locis emortuorum cadavera sepulchretis erui non prohibuit, sub gravi multa iniungens, ut inter publicas supplicationes Processionesve humum floribus & gramine conspergant, iisdem armati adsistant, & nisi fustibus in terram prosterni mallent, adiculam Sacramentariam genuflexione honorent. Sunt praeterea, quos inaequali militum hospicio adscriptorum numero oppressit, lenius habitis, quotquot concivium Catholicæ religionis asseclæ erant: & quæ sunt id genus violentæ oppressiones alia plures, quas omnes, compluribus dolendis exemplis, diversis in locis observatis, in continenti demonstrari proum est.

Et quamvis deinceps anno 1629, nona Martii, ac porro anno 1647, octava Aprilis

lis, inter Nos, & respectivè Clementissimū Anno  
nostro Dominum Parentem, nec non 1651.  
Domini Palatini Neoburgensis Dilectio-  
nem, certæ Transactiones provisiona-  
liter initæ fuerint; Nos etiam nunquam  
non, licet iure Majoratus & Primogenitu-  
tæ in possessione harum tetrarum primas  
ferremus, nec de causæ victoria ullū dubi-  
um haberemus, ad conservandam hac via  
provinciarum felicitatem, & ut harum u-  
niversi quæ Ordines quæ subditi tran-  
quillè agere possent, nec quisquam in con-  
scientia sua, bonis atque facultatibus tur-  
baretur gravaretur, de notorio iure no-  
stro non levi parte provisionaliter cesseri-  
mus: adhæc etiam Domini Palatini Dile-  
ctioni memoria excidisse non potest, quid  
Dominis Statibus Belgii confœderati, post  
transactionem provisionalem primam an-  
no 1630. cùm illo tempore Hagæ-Comi-  
tis præsens existeret, consummationem-  
que eiusmodi transactionis sollicitaret, in  
causa, religionem Evangelicam subditos-  
que concernente promisset, quidque eor-  
undem Ordinum nomine sapientius rescrip-  
tum responsumque fuerit; maximè au-  
tem in transactione anni 1647. rem eò de-  
ductum in conventum sit, ut templa il-  
la ædesque sacræ, unà cum proventibus ad  
illas

Anno  
1651.

illas pertinentibus, illi parti restituantur, ad quas eadem anno 1609. tempore Reversalium concordatarum pertinuerunt: quod verò exercitium religionis tam politicum quàm privatum concernit, illud in istum statum reducatur atque relinquatur, quo hæc omnia anno 1612. & quidem qualibet anni parte fuerunt; in quam rem porro, 4. Februarii anno 1647. Duisburgi commissio cœpta est, quæ in undecimam hebdomaden continuata, ob instans autem tùm S. Paschatis festum mense Aprili, usque ad eius decursum mutuo consensu suspensa est, cuius resumptionem nos multoties ursumus, & Domini Palatini Neoburgensis Dilectio ab initio itidem in hoc acquievit, nisi quòd quoad negotii sensum explicationemve, contrariæ opinionis fuerit; donec tandem omninò deficeret, nullis amplius tractatibus obligari, quin omnia ad observantiam anni 1624. accommodari postularet. de horrendis interim oppressionibus ac persecutionibus erga Evangelicos nostros subditos, in Juliacensi & Montensi Ducatibus nihil remittens: quin potius acriter illas continuando, prætereunda non destitit, quasvis transactiones, Reversales, Concordata, atque pacta eiusmodi attentatis obstantia, sublata



lata, irrita atque in nihilum redacta Anno  
esse. 1651.

Cum verò hac in parte res ita se habeat, quòd quidem Domini Palatini Neoburgensis Dilectioni gratum fuisset, in antedicta transactione de anno 1647. rem eò deductam videre, ut & in nostris Principatibus, Juliacensi ac Montensi, quoad templa, & exercitium religionis, annus 1624. admitteretur, præsertim cum jam tum ille terminus apud tractatus pacis Monasterii & Osnabrugis ita constitutus atque pertractatus esset: hoc verò à nobis iniri nullo modo potuerit, verum ex utraque parte ad modum suprà dictum conventum fuerit; & temporis successu Domini Palatini Neoburgensis Dilectio, in diversis legationibus, colloquiis, atque etiam in literis diversas rationes, quà scripto quà lingua præsentaverit, nimirum Pacis tractatum Conventionem anni 1647. tollere non posse, quòd Gravamina Religionis in terris Juliacensibus ad Gravamina Imperii nunquam pertinuisent, neque motuum belli in Imperio excicatorum causa extiterint, atque ita ratione duplici per generalem dispositionem, super gravaminibus Imperii decisionem suam habere non potuerint: adhuc etiam Domini Palatini Dilectio

Anno  
1651.

lectio in hunc usque diem tractatu Pacis contenta sit, nec eidem per suos subscribi, quin potius in uno & altero illi contradici permiserit, atque ita ex actu impugnatio commodam nullum trahere potuerit, eademque terminum restitutionis gravatorum de anno 1612. in posteriori transactione provisionali approbarit, cum de termino anni 1624. iam ferè dimidio anno antè, nimirum mense Novembri anni 1646. in Imperio convenisset; Et quamvis Domini Palatini Dilectio tum libenter vidisset, quod suprà etiam innuimus, modo nominatum terminum restitutionis de dicto anno 1624. intelligi, at tamen huic per secretiores nostros Consiliarios atque legatos expressè contradictum, ac demùm hac contradictione facta, aliud conclusum est, cui etiam postero tempore, cum Instrumentum Pacis die 24. Octobris anno 1648. perfectè subscriptum fuisset, Domini Palatini Dilectio firmè inhæsit, id quod eius Dilectioni pariter per Consiliarios nostros atque Legatos, quâ scriptis quâ verbis remonstratum, & ea occasione Transactio provisionalis, non solum quoad alios magni momenti articulos ritè constituta: unde in Domini Palatini Dilectionis potestate firum non esse arbitramur.

inur

in ut, quoad aliquot capita illi inhærere, in Anno  
 aliis autem ab illa resilire: quæ enim trans- 1651.  
 actionum, inter Electores ac Principes in-  
 nitarum, certitudo esse posset, si ad hunc  
 modum ab una vel altera parte infringi  
 vellent, ne dicamus, quod totum negoti-  
 um successionis in ditionibus Juliacensibus,  
 atque ita cum omnibus dependentiis,  
 inter quas Religio non minima pars cen-  
 lenda, apud tractatus Pacis, alii decisioni  
 expressè reservata sit. Huc quoque tendit  
 Dominorum Plenipotentiarum Cæsareo-  
 rum declaratio, Comitum de Nassau &  
 Lamberg, tum etiam Volmari atque Cra-  
 hii, quam Cæsareæ Majestatis nomine in-  
 formali quadam Propositione exhibue-  
 runt, apertè confessi, quoad Punctum Re-  
 ligionis, tenorem transactionis provisio-  
 nalis observari debere, imò incumbere  
 Domino Palatino, ne termino anni 1612.  
 iniuria fiat: quæ rationes adductæ, sin-  
 gulæ & universæ, tali fundamento inni-  
 tuntur, ut solidè nunquam solvi, nec in-  
 verti queant. Præterea in rei etiam veri-  
 tate deprehensum est, Domini Principis  
 Palatini Dilectionem nudis tantum ver-  
 bis ad regulam & observantiam anni 1624  
 provocare, in facto autem nihil minùs  
 quam restitutionem ad tenorem eius cō-  
 sen-

Anno  
1651.

sentire cogitare, quin adhuc etiam, & in hanc usq; diem, in nonnullis locis à persecutionib. & pressuris, per Præfectos & alios Ministros illatis, non abstinere, in hoc firmiter hærendo (id quod nuperrime in Edicto quodam publico, die sept. Martii anni præsentis Düsseldorfii typis exscripto confirmatum) quævis Pacta, Reversales, Contractus & Transactiones, quæ in uno vel altero loco initæ, normæ vel observantiæ anni pluries nominati adverstantur, hoc in casu nihil omninò obstare, verùm penitùs abrogaras, atq; invalidas cèseri debere. Cùm verò eidem æquè minùs integrũ sit, Reversales, quas ab utraq; parte cum Juliacensis & Montensis Ducatum Ordinibus constituimus, quas etiam ad illatũ vigorem à Nobis omni tempore conservatum iri sanctè promissimus, in unius duntaxat partis favorem exponere, atq; in sensum contrarium distorquere, quàm Transactionem provisionalem de anno 1647. partim ad nihilum redigere & tollere, partim autem valida declarare, verùm, quòd si transactio hæc in uno vel altero invalida & nullius momenti ducenda sit, planũ esse, nec Nos amplius, nec nostros ad reliqua obligari posse, quin potius rescisso, omni contractu quasi liberos iterũ pronunciat, maximè verò cum per conventionẽ  
ultra

ultra dimidium læsi sumus, & Domini Pa- Anno  
latini Dilectio, contra illam ad tractatum 1651.  
& conventionem particularem descen-  
dit, imò à tempore privatę huius ac violētę  
occupationis terrarū, incōparabilem auri  
summam sub tributi nomine, à subditis no-  
stris utriusq; Ducat. Juliacenſ. & Montenſ.  
exegit, & per varias, in hanc rē excogitatas  
executiones militares expreſſit, id q̄ quē-  
admodum ſubditos omnib. ferè mediis e-  
munxit, ita non dubium eſt, quin nobis et-  
iam, heredib. noſtris atq; ſucceſſorib. in fu-  
turum magno quoq; detrimento cederet.

His itaq; magni momenti rationibus in-  
ducti, ut conſervationi atq; ſecuritati Juriū  
noſtrorum conſuleretur, Domini Palatini  
Neoburgenſis Dilectio in viam æquitatis  
reduceretur, Ordinibusq; ac ſubditis utro-  
rumq; noſtrorum Principatum, Juliacen-  
ſis & Montenſis, privilegia ſua, libertas cō-  
ſcientiæ, & Jura quæcunq; vigore Rever-  
ſaliū ſarta tecta conſervarentur, ac deniq; à  
variis illis divexationibus, oppreſſionibus,  
oneribus atq; preſſuris liberati, in priſtinū  
ſtatum atque tranquillitatem reſtitueren-  
tūr, aliter non potuimus, quin divino freti  
auxilio, unū & alterum locum in poteſta-  
tem noſtram redigeremus. Vnde nullum  
nobis dubium relinquitur, optimam hanc  
noſtram intentionem ad finem nullum a-

E 2 lium,

Anno  
1651.

lium, quàm manifesti Juris nostri conser-  
vationem tendentem, à Cæsarea sua Maie-  
state non minus, quàm quibusvis cæteris  
Magistratibus, Electoribus, Principibus atq;  
Statibus S. Rom. Imperii, approbatum iri  
Nobis autem in hoc obtinendo impedi-  
mendo nō fore, minus in favorem Domini  
Palatini Neoburgensis Dilectionis huic  
negotio se immisturos, quin potius, præ-  
via debita petitione nostra, quovis possibi-  
li modo nobis adfuturos esse. Datum Cliv-  
iæ die 13. Junii, Anno 1651.

Huic autem Quasi-Manifesto, Serenif-  
simus Elector Brandenburgensis Manda-  
tum sive literas adhortatorias adiunxit,  
sequentis argumenti:

Nos Dei gratia Fridericus Guilielmus,  
Marchio Brandenburgensis, Sacri Roma-  
ni Imperii Archi-Camerarius & Princeps  
Electoꝝ; Magdeburgi, Porussiæ, Juliaci,  
Cliviæ & Montium, Steini quoq; Pome-  
ranæ, Cassubiorum Vandalorumque, nec  
non Silesiæ, Corossenæ & Jägerndorffii  
Dux: Burggravius Noribergæ; Princeps  
Halberstadii & Mindæ; Comes Marchiæ &  
Ravenspurgi, Dominus in Ravenstein, &c.  
Omnibus ac singulis, in primis autem No-  
bilitati nostræ, civitatibus atq; communi-  
tatibus Principatum nostrorum, Juliacen-  
sis

sis & Montensis, singulis & universis salu- Anno  
 tem nostram clementissimam, Electora- 1651.  
 lem benevolentiam, & omne bonum; No-  
 tumque illis facimus, Nos eo fine, ut om-  
 nium privilegia ac jura, ad normam Rever-  
 salium, anno 1609, hisce terris impertitarū,  
 salva atque illibata conservarentur, Status  
 & subditi quicunq; ab indefinentibus illis,  
 & ex permisso Domini Palatini Neobur-  
 gensis Dilectionis allatis angustiis, tribula-  
 tionibus atque onerationibus liberaren-  
 tur, & suo tandem statui ac vigori restitui-  
 rentur, maximè compulsos esse, unum &  
 alterū locum armis nostris recipere. Quā-  
 doquidem autem indè apud hunc vel il-  
 lum diversæ cogitationes impressionesve  
 suscitari facilè possent, quare securos illos  
 reddimus, nos omni zelo ac fervore cura-  
 turos, ut veluti jam ante in Principatu no-  
 stro Clivensi, tum etiam Comitibus,  
 Marchiæ & Ravenspergæ factum, ita & in  
 posterum in iisdem, nec non Principatib.  
 Juliacensi ac Clivensi, vigor ac valor ejus-  
 modi Reversalium salvus & integer con-  
 serveretur, quibusvis, qui quocunque modo  
 contrà agent vel peccabunt, extremas vires  
 nostras opponendo. Quin etiam in hoc se-  
 dulam operam navabimus, ut, quicquid in  
 uno vel altero loco ad præsens usque tem-

Anno  
1651.

pus, contra fas & æquum perpetratum fuit, quantum in nobis fuerit, abrogetur, atque ita divino favente auxilio, Altissimi gloria & honor, patria salus, & salutaris Iustitia, absque omni respectu Religionis & ejus differentiarum conservetur ac propagetur: tum etiam, ut quicumque Contractus, Pacta atque Conventa, inter terrarum Principem ac status sive ordines superioribus annis inita, intra vigorem suum consistant, & inviolabiliter durent: E contra promittimus nobis apud Nobilitatem nostram, civitates quoque; & quosvis subditos nostros, vi sæpius dictarum Reverfaliū, & pro candore antiquo, affectuque quo in legitimum suum Principem esse consueverunt, omnem debitum respectum, obedientiam atque assistentiam, vobis Præfectis, Quæstoribus, & quicumque Magistratus vicem geritis, tum etiam minimis subditis, vigore præsentis mandati serio injungentes, ne in posterum ullas contributiones exactionesve, quocumque illæ nomine venire, vel qua ratione & modo id fieri possit, Domini Palatini Neoburgensis Dilectioni promittant, numerent aut exolvant, neve aliàs illi subsidium atque auxilium consilio vel opera, sive illud per directum sive per indirectum fiat, præstent, sed solummodo à nostro, hæredūque nostre.



nostrorum ac successorum nutu dependere. Anno 1651. 1781  
 ant, sub hac prædictione, quòd si debitum illum amore atq; propenium animi affe-  
 ctum nobis subtraxerint, vel alioqui cum  
 Domini Palatini Neoburgens. Dilectione  
 colluserint, eidemque adhistendo, quo vis  
 modò subsidio futuri sint, fore, ut quocù-  
 que illud tempore evenerit, non solum  
 quibusvis suis privilegiis, beneficiis, imu-  
 nitatibus ac Juribus, quib ipsi & eorù Pre-  
 decessores fruebantur, vel quæ per Rever-  
 sales, sive alia via, per novas concessiones &  
 indulgentias impetrarunt, excidant: quin nos  
 etiam præter hoc illos singulos atque uni-  
 versos, ceu rebelles atq; apertos hostes no-  
 stros æstimabimus, & tractabimus, id quod  
 univocis ac singulis vigore præsentium in-  
 cautionem significari mandavimus. Ele-  
 ctoralifavore gratia atq; omni bono quo-  
 vis tempore profecuturi, quos viâ obedi-  
 entia ingressos, erga nos & domum nostram  
 Electoralem, debita submissione, sincero  
 affectu & vera devotione propendere cog-  
 novimus. Datum 13. Jun. anno 1651.

*Fridericus Guilielmus*  
*Electo.*

Postquam igitur Elect. Brandenburgens.  
 Principi Palatino Neoburgensi bellum tali  
 modo denunciavit, (quamvis sint, qui di-  
 cunt,

*1651. 1781*  
*1651. 1781*  
*1651. 1781*  
*1651. 1781*

Anno  
1651.

cunt, jam ante illud factum esse) Brandenburgici, Duce Sparriorum militum Praefecto Generale, cum 1400. equitum, & 300. peditum signis, ad Angermontium (quod Praefectura est, cum arce probe munita, in Montensi Ducatu) subito accesserunt; quem locum etsi ex duob. tormentis aliquot ictibus, concuterent, pilamque unam & alteram ignivomam imitterent, nil tamen aliud actum est, quam quod cives duo, & milites Neoburgici totidem mortui occubuerunt, pauci vero vulneribus notati conflictu excefferunt.

*Princeps  
Neoburgicus  
ad  
resistendum  
se parat.*

Interea Celsissimus Princeps Neoburgensis, VVolfgang-VVilhelm, furore Electoralium cognito, per Commissarios apud Colonienles militem, pecuniam, & tormentarium comearum quidem sollicitavit, horum vero nil obtinuit: quod cum itidem apud Sereniss. Archiducem, & Lotharing. Ducem, quo nescitur successu, tentasset, demonstraturus porro toti mundo, quam innocenter, & citra omnem expectationem ab Elect. Brandenburg. bello lacesitus esset, sequens anti-Manifestum typis Germanicis exscribi mandavit, cuius apographum, per nos Latine redditum, in gratiam benevoli Lectoris hic interleremus, & est talis argumenti:

VVOLF GANGVS VVILHELMVS,  
Dei gratia Comes Palatinus Rheni; Dux  
Bavariae, Juliaci, Cliviae & Montium, Comes  
Vel-

Veldentia, Spanhemii, Marchia & Moer- Anno  
fia; Dominus in Ravenstein, &c. Omni- 1651.  
bus, cum primis autem Praefectis, & dile-  
ctis atque fidelibus nostrae provinciae Ordi-  
nibus, Nobilibus & Civitatibus, nec non  
universis & singulis nostris Praetoribus,  
Praefectis, Judicibus, Officiariis, aliisque  
nostris subditis & incolis, status tam Ec-  
clesiastici quam Politici, Principatum no-  
strorum, Juliensis, Clivensis & Monten-  
sis, simul atque conjunctorum Marchiae  
& Ravensburgi Comitatum, notum fa-  
cimus; irrupisse improvise nuperis diebus  
magnum numerum copiarum Electoris  
Brandenburgensis, qua pedestrium, qua  
equestrium, nulla praevia denunciatione  
ullius, post factam elapso proxime anno  
1647. inter Celsissimi Dn. Electoris Dile-  
ctionem, & nos transactionem, ortae con-  
tra nos actionis vel praetensionis, absque  
praevia etiam renunciatione transactionis,  
& inter nos intercedentis, semperque ex  
nostris partibus sincerè & candidè percul-  
tae amicitiae, amoris & concordiae, (cuius in  
posterum jure meritoque à Domini Ele-  
ctoris Dilectione expectassemus talio-  
nem.) in Principatum nostrum Monten-  
sem, arcemque nostram & oppidum An-  
germundam, non ita procul à nostra hac

E s scde

Anno 1651. sede Principali diffitam, vi tormentorum, flammarumque projectione, hostiliter tractasse, primo statim insultu oppidanos quosdam traiectis globis trucidasse; at cum arx non ita statim ipsorum se potestati submittere vellet, oppidum unà cum Ecclesia omninò expoliasse; id quod etiam Ecclesiæ in pago Mülchem evenit, in qua infantem lactentem, quem mater brachiis gestabat, dissecto capite ad superos transmiserunt; postea villam Pempelfurtum, vix uno bombardæ jactu hinc diffitam & Iusculanum nostrum, quod proprium ibi habemus, sub nocte diripuerunt, pecus nostrum, & quid præterea tam in eo ipso, quàm etiam in illius villæ domibus proximè adiacentibus, & ad nostræ huius civitatis inquilinos spectantibus, præstò fuit, & quæ à Brandenburgensi milite festinè asportari potuerunt, vi abstulerunt, addita comminatione, se eiusmodi hostilitates contra nos, nostrasque civitates & provinciam continuaturos; quo fine etiamnum majorem militum numerum, pedum & equitum, pluraque omnis generis præparatoria bellica, tam tormenta & com-  
meatum, quàm alia comportant.

Quamvis autem nobis nulla unquam, ut jam meminimus, vel ne minima quidem  
causa

causa vel prætextus insinuatus fuerit, neq; Anno  
 ipsi invenire quiverimus, quid velamenti 1651.  
 Celsissimum Dominum Electorem ad tam  
 improvifum inter Christianos præsertim,  
 tam arcta agnatione constrictos Germa-  
 niæ Electores & Principes, imò ne quidem  
 apud infideles, absque prævia renuncia-  
 tione intercedentis pacificationis & trans-  
 actionis, ad minimum absque prænuncia-  
 ta præensione, & postulata amicabili sa-  
 tisfactione, nunquam auditi pacifragii, in-  
 cursum & violentiam, contra nos permo-  
 vere potuerit.

Inde principio persuadere nobis non  
 potuimus, Dilectionem suam, tanquam  
 Germanum, autoritate & prudentia præ-  
 cellentissimum Principem, imò Electorem  
 Sacri Romani Imperii, ( qui propter su-  
 premam dignitatem & præminentiam vi-  
 gore Auræ Bullæ, adde etiam Pacis reli-  
 giosæ & prophane, gravibus pœnis pro-  
 mulgatæ, aliarumque Imperii salutarium  
 Constitutionum, ad quas observandas, Di-  
 lectionis suæ proprii Maiores, non solum  
 ipsi, sed etiam pro Successoribus suis, tam  
 sanctè graviterq; sese obstrinxerunt, quasi  
 ante alios obligati sunt, ut ab eiusmodi, &  
 id generis manifestis pacifragii, omni jure  
 divino & humano adeò severe prohibitis  
 violen-

Anno  
1651.

76

*Mercurii Gallobelgici*

violentis, non solum abstineant, sed etiam multo magis omnibus viribus adiutores sint, ut alii eiusmodi aliquid attentaturi, inde dimoveantur;) has contra omnem naturalem rationem, & humanam fidem tendentem actionem mandasse,

At postquam nobis Mandatum, typis exscriptum, quod sub nomine Celsiss. Domini Electoris Brandenburgensis in publicum prodiit, & portæ oppidi Angermundani (quod etiam in aliis Principatus nostri locis factum:) affixum fuit, ad manus pervenit, intelleximus inde, quod simplicioribus, & tenuioris conditionis subditis (aliis namque quilibet extra lividum affectum positus, iniustitiam illius mandati facile apud se dijudicare valet:) imponere audent, tanquam istoc sine, ut subditi nostri utriusque Principatus Juliensis & Montensis, in Privilegiis, Immunitatibus & Juribus, juxta tenorem, provinciis anno 1609. redditarum & vectalium defendantur, & à perpetuis, à nobis impositis oneribus & afflictionibus liberentur, atque in pristinum tranquillitatis statum restituantur, extremæ necessitatis fluctibus adacti fuerint, occupare unum atque alterum locum, adiuncta severa inhibitione & mandato, ut præfecti nostri, omnesque alii, qui

Jus

Jus jubendi & prohibendi habent, ut & Anno  
nostri subditi, nobis in posterum nullas 1651.  
contributiones & collectas, cuiuscunque  
generis vel nominis sint, quocunque etiam  
modo fieri possit, consentiant, exhibeant,  
solvant, neve etiam aliàs nobis ullam ope-  
ram ferant, consilio vel facto, directè vel  
indirectè, sed ut solummodò à partibus  
Domini Electoris, & Dilectionis suæ hæ-  
redum & successorum stent: addita admo-  
nitione, quod si debito amoris & affectioni  
erga suam Dilectionem se subducturi, vel  
à nostris partibus staturi, nobisque opem  
ullam, subsidium vel auxilium ullum ex-  
hibituri essent, ut ex hoc statim tempore  
non solum omnibus suis privilegiis, bene-  
ficiis, immunitatibus, juribus & consue-  
tudinibus, quas ipsi Majoresque ipsorum  
antea habuerunt, vel per Reversales, mo-  
dosque alios, per novas concessionem & in-  
dulta, acquisiverunt, non amplius gaudere  
debeant, sed quod insuper Dilectio sua sin-  
gulos & universos pro refractariis rebelli-  
bus, & manifestis hostibus habitura & tra-  
ctatura sit, quod tenor ipsius Mandati ple-  
nius insinuat: E te fore putavimus, ad vin-  
dicandam & defendendam nostram, Deo  
propitio legitimè acquisitam Principalem  
famam, nomen & ordinationes, per hanc  
extortam

Anno  
1651.

extortâ Confutationem cuius paucis ante oculos proponere, quàm minus amicè non solum per suprâ positas subreptitias inculpationes nobiscum agatur; sed etiam qua fidei sollicitudine, quove amore & affectione, nunquam non ad conservationem Principatum nostrorum, & fidelium dilectorum nostrorum Ordinum provinciarum, & subditorum, (posthabita non tantummodò propria magnaue utilitate nostra, & Interesse, factisque magis sumptibus, sed etiam exposita propria persona, vita & salute nostra, periculis!) nec minus etiam conservationem & propagationem intercedentis avitæ agnationis inter nostram & Electoralem Brandenburgensem familiam, tum etiam propter pacem & præcedentem concordiam, extremam curam subierimus.

Ex adverso autem, quomodo ex parte Electoris Brandenburgici, de pactis inter nos diversimodè sanctissimis transactionibus, nunquam non multa subditorum nostrorum conquerulatione & pernicie contraventum fuerit.

Et initio quidem in universo Imperio notorium est, quòd à morte dilecti Domini Patris nostri, Johannis Wilhelmi, Ducis Juliacensis Cliviensis & Montium, nos  
nomine



nomine & mandato Clementissimę dilectę Anno  
 nostrę Dominę Mattis, Annę, Comitissę 1651.  
 Rheni, Ducissę Bavarię, Juliaci, Clivię &  
 Montium, pię memorię, tanquam, ut jam  
 diximus, Domini nostri Patris, & ultimi ex  
 illustrissima Ducum Juliacensium familia,  
 legitimę, & pro tempore in vivis existentis  
 natu majoris, nec non vigore datorum a  
 prioribus Imperatoribus Romanis, Domi-  
 nis directis horum Principatumum singula-  
 rium Privilegiorum, Concessionum & ha-  
 bilitationum, unicę & legitimę hęredis,  
 vacuam Juliacensium, Cliviensium, Mon-  
 tensium, & adpertinentium provinciarum  
 possessionem, justissimo titulo & legitimo  
 modo, anno millesimo sexcentesimo nono  
 apprehenderimus & adierimus.

Postquam autem pręfati, qui jam rerum  
 potitur, Domini Electoris Brandenbur-  
 gensis Dominus Proavus, Dn. Johannes  
 Sigismundus, Marchio & Elector Bran-  
 denburgensis, p. m. nomine Coniugis, Do-  
 minę Annę, Marchionissę & Electricis  
 Brandenburgensis, Ducissę Borussia, per  
 fratrem ipsius, Dn. Ernestum Marchionem  
 Brandenburgensem, sese in possessionem  
 intromisit, Nos conservandę tranquilli-  
 tatis & concordię gratia, & ut major a Pro-  
 vincialibus ruina & pernicię averteretur,  
 per

Anno  
1651.

per amicabilem interpositionem Domini Mauricii, Landgravii Hassiæ, de communi quadam administratione provisionali, regimine & usufructu omnium provinciarum prædictarum, eo ipso anno civitate Tremonia, provisionaliter quidem transigimus: sed Electorales Brandenburgenses transactioni huic sequenti anno 1614. occultis machinationibus & attentatis, contra hanc nostram civitatem principalem, ut & non ita multò post violenta eiectione nostri præsidioris, quem unà cum Electoralibus Brandenburgensibus, in castello & civitate Iuliacensi habuimus, etiam omnimoda occupatione civitatis & arcis, aliarumque Iuliacensium Præfecturarum contravenerunt. Et cum res ad amicam compositionem, Xantonii habendam, reiecta fuerit, compositio hæc dissoluta, & à Brandenburgensibus occupatione Comitatus Ravenspergensis denovo initium datum: occupatione etiam diversarum Præfecturarum in nostro Ducatu Cliviensi & Montensi de facto, & absque ulla ipsis ad id data causa, processum fuit. In quibus ita, & eatenus perstiterunt, donec tandem anno 1622. & postea successive Deo auxiliante, non solum Præfecturæ, vi & contra pacta conventa ab illis detentæ, in commodum

modum nostrum recuperatæ ; sed et Anno  
iam bona pars Principatus Cliviensis ; u. 1651.  
nà cum utroque Comitatu Marcano &  
Ravenspergensis ; ( exceptis civitatibus  
Sulato & Luna ) in plenum nostrum do-  
minium & usumfructum restitutæ fue-  
rint.

Inde primò satis patescit, omne dama-  
num, omnemque perniciem, quæ fideli-  
bus & dilectis nostris subditis per Bran-  
denburgensem contraventionem transa-  
ctionis, & de facto factas occupationes tot  
præfecturarum, & quid prætereà subsequen-  
ta recuperatione, ipsis illatum fuit, per E-  
lectorales Brandenburgenses solum & uni-  
cè originem duxisse.

Tametsi ergò commodum non con-  
temnendum & potiozem harum provin-  
ciarum partem rursus acquisiverimus, nec  
ad earum conservationem viribus defice-  
remus ; attamen cum interim magnitudo  
onerum, ex utraque parte subditorum cer-  
vices graviter prementium potius quam  
propria salus, fibras tangeret, nec liberatio  
vel nostra vel provinciæ, vel in solo E-  
lectoris Brandenburgensis, vel etiam no-  
stro arbitrio, eo tempore steterit, amore  
subditorum ad restabiliendam Cognatio-  
nis fiduciam inter nos & Electoralem Do-  
mum

Anno  
1651.

mum Brandenburgensem, iter laboris, periculi & sumptuum feracissimum, ad Regis Catholici Majestatem, Madritum usque Hispaniæ suscepimus, tantumque peregrinamus, ut consenserit, quod si inter nos & Electorem de possessione & usufructu Principatus conventum fuerit, ut miles Hispanicus (si modo confœderati Belgii Ordines idem de ipsorum adductis copiis faciant, & in futurum provinciæ parcant, idque fore promittant:) ex prædictis nostris Principatibus, reservatis tamen tribus civitatibus firmioribus, pro utriusque partis subsidiatoribus, deduci, & ita subditi nostri liberari debeant.

Inde non attenta, facta à partibus nostris recuperatione, in eum solummodò finem sequenti anno 1629. cum moderni Domini Electoris Domino Parente, Georgio Wilhelmo, eò transegimus & de pacti sumus, ut Dilectioni suæ non solum illud, quod in commodum nostrum in Clivensi Principatu occupatum, & Dominio nostro adiectum fuerit, & ita totum illum Principatum Dilectioni suæ plenariè; sed etiam totum Comitatum Marchiæ, cum duabus Præfecturis in Comitatu Ravenspergico provisionaliter ad 25. annos ipsius administrationi & usufructui cesserimus.

Unde

Unde itorū quilibet intelligere & co- Anno  
 gnoscere potest, conſervationem provin- 1651.  
 ciæ, eiusve incolarum, propriæ nos utili-  
 tati prætulisse: quamvis etiam Elector  
 per jam dictam transactionem adeò ma-  
 gnā harum provinciarum partem à no-  
 bis, ex mera amicitia, recuperavit, eaque  
 à Dilectione sua non solum diversis vici-  
 bus subscripta signataque, sed etiam an-  
 no 1630. per confœderatos Belgii Ordi-  
 nes approbata & confirmata fuerit. Est ta-  
 men notorium, quòd modernus Dominus  
 Elector Brandenburgensis, postquam an-  
 tedieta transactio sedecim annorum spatio  
 vigorem suum obtinuit, non ita dudum à  
 morte Celsissimi Domini Parentis, & an-  
 tequam provisionaliter de pacti 27. anni ad  
 finem pervenerunt; sed cum ex iis adhuc  
 septem reliqui fuissent, etiam hanc alteram  
 Compositionem impugnaverit, & per vio-  
 lentam militis introductionem in Princi-  
 patum Montensem, nobis nostroque Prin-  
 cipatui nova & enormia damna intulerit:  
 ubi denuò, ad educendos ex angustiis sub-  
 ditos nostros, persuaderi nobis passi fui-  
 mus, ut mense Aprili 1647. cum Dilectio-  
 nis suæ ad nos amandato Legato, aliam &  
 tertiam transactionem ita peregerimus, ut  
 Celsissimus Dn. Elector Principatum Cli-  
 viensem,

Anno  
1651.

viensem, unà cum Comitatu Marchiæ, & duobus melioris notæ Præfecturis in Comitatu Ravenspurgico, & Dominatu nostro Ravensteiniensi; nos autem utrumq; Ducatum Iuliacens. & Montensem, tantisper possidere, iisq; uti frui debeamus, donec causa principalis vel via juris, vel amicabile compositione finem suum sortita fuerit.

Quam transactionem Dominus Elector (postquam Dilectio sua eam antea non solum, sed diu examinavit ponderavit, & per proprios Consiliarios ita in charta concipiendam curavit; sed etiam cum Dominis Statibus confœderati Belgii iterum desuper deliberationem instituit, & ipsorum quasi approbationi submitit: ) manu & sigillo confirmavit, & ut sanctè & integrè servetur, fidem Electoralem interposuit.

Quemadmodum autem nos eam candidè, honestè & fideliter observavimus, & nemo mortalium salva veritate affirmare poterit, in ullo nos apice vitium intulisse: Ita & omni Jure, & naturali æquitate sperassemus, Dilectionem suam etiam ex sua parte, id quod, ut dictum, Electorali interposita fide, manu & sigillo, candidè servandum, adeò sanctè recepit, inviolabiliter

liter observaturam, nullatenus autem ani- Anno  
 mum nostrum occupare valet, Dilectio- 1651.  
 nem suam jam adeò improviso & celeriter, *Italica.*  
 citra ullam causam & culpam, robore nos  
 militari, nostrosq; Principatus de novo in-  
 valuram fuisse: Cum præsertim aliter non  
 sciverimus, quàm quòd cum Dilectione  
 sua in obfirmata concordia & amicitia (de  
 quo in omnibus suis ad nos multoties in-  
 terim perscriptis literis fidem dedit) adhuc  
 integrè consisteremus, quin multò magis à  
 dilectione sua omnia cognationis officia &  
 benevolentiam, quam eiusmodi hostilem  
 assaultum expectassemus.

Quod autem Dilectio sua pacifrago  
 huic facto colorem inducere putat, ac si  
 subditos nostros à gravaminibus & oneri-  
 bus, quæ ipsis (ut in suprascripta copia Ele-  
 ctoralis Brandenburgensis Mandati, ad  
 immeritam nostri denigrationem perhi-  
 betur) imposuisse dicimur, ereptura esset,  
 id quidem certò apud neminem mortali-  
 um iusta ratione præter affectum invidiæ  
 præpollentem, & cui noster vitæ modus, a-  
 nimusque pacis amantissimus innotuit, fi-  
 dem merebitur.

Primò namque iniqua hac insimula-  
 tione ab authore illius scripti, eoque qui  
 Domini Electoris Dilectioni ita falsò sug-  
 gessit,

Anno  
1651.

gessit, nobis vis & iniuria infertur; & permittemus iudicium Ordinibus, subditis & incolis nostri Principatus Clivien-  
sis, & utriusque Comitatus, Marchiæ & Ravenspergensis, uter provisionaliter sibi delegatas provincias, eorumque Ordines & subditos durius hactenus presserit & oneraverit.

Et quamvis antehac quidam ex Juliacen-  
sibus & Montensibus Ordinibus Cæsareæ Majestati significarint, quòd diuturno hoc in Imperio gliscente bello, privilegia & antiquæ consuetudines, non semper ita strictè observari potuerint; Tamen apud Gloriosissimum Cæsarem eiusmodi ponderosas exceptiones & rationes protulimus; simul atque ipsis dilectis nostris provinciæ Ordinibus in uno atque altero tantam remonstrationem ob oculos posuimus, ut jam dudum præterito anno 1649. nobis reconciliati, omnisque diffidentia inter nos ex utraque parte omninò sopita fuerit. Et constat liquido, quòd Ordines nostri Juliacenses & Montenses nullatenùs Dominum Electorem Brandenburgensem de his violentis, & in ipsorum ruinam tendentibus mediis, neque etiam de ulla protectione contra nos compellaverint.

Valdè



Valdè itaq; molestè nobis accidit, quòd Anno  
in supra dicto scripto tentatur, nos præfa- 1651.  
to modo arguere, & jam volentes contra-  
ventiones transactionum, & subsecutarum  
attentationum, sub prætextu protectionis  
ad utilitatem subditorum tendentis, op-  
palliare.

Cùm autem in pace publica, sub gravi-  
bus pœnis promulgata, severè interdi-  
ctum, ne quis Status alterius subditos se-  
ducat: ast ex parte Electoris Brandenburg-  
ensis salva veritate negari nō possit, quòd  
anno 1631. ex mandato moderni Domi-  
ni Electoris Domini parentis, Dominus  
Magister & Comes Schvvarzenburgicus,  
nobis in annos 25. nostros Juliacentes &  
Montenses Ordines & subditos ad fide-  
litatem & obedientiam in solidum tradide-  
rit: Quin magis indè apparet, quàm gravi-  
ter modernus Dominus Elector exorbitet,  
dum proprios nostros Officiarios, provin-  
ciæ incolas & subditos Principatus Julia-  
centis & Montensis, ad eò asperis commi-  
nationibus à nobis abducere, & ad partes  
sua transferre, simul iis inhibere allabora-  
verit, ne nobis collectas & contributiones  
solvant, nec aliàs fidem & obedientiam  
præstent. A quo Dilectio sua eò magis ab-  
stinuisse debuisset, quòd & ipsa in compo-  
sitione anno 1647. facta, omne illud, quòd  
anno

Anno  
1651.

anno 1629. & 1630. transactum fuit, nec per hanc postremam compositionem in specie mutationem accepit, in omnib. punctis & clausulis renovavit & confirmavit.

Etiam si autem inter Nos & Ordines subditosve nostros ulla adhuc differentia indecisa adhæresceret; eius tamen cognitio ad Dominum Electorem Brandenburgensem non pertinuit; multò minus attentata contra nos immissio militis ab Electore Brandenburgico sub ista specie defendi potest; præsertim cū in præfatis transactionib. de annis 1629. & 1630. certa & determinata conventio facta fuerit, quomodo orituræ inter dilectionem suam & nos differentiarum dijudicandarum forent, sed hic modus, ut & alia iterum atque iterum à Domino Electore susque deque habitus.

Cum ergò invasiones & attentata hæc ejusmodi facta sint, quæ non solū in SS. Scriptura, Jure Canonico & Civili; sed & pace religiosa & prophana, omnibus Imp. Constit. & Pacificatione etiam Monasteriensi & Osnabrug. adeò duriter parta, sub gravib. pœnis interdicta; sed et Juri Gentium, & quasi ipsi Naturæ contrarium sit, Princip. cognatum, & pacis anhelum, absq; ulla prævia offensione, dataq; causa, nullâ facta præmonitione, ita aggredi, vim inferre, & nostros antea per improbum Martis furorē immaniter exhaustos

stos miseros subditos, porrò in extremam Anno  
ruinam & desolationem præcipitare, & ita 1651.  
novos motus in Imperio Romano excita-  
re: Itaque primò coram Deo omnipoten-  
te, & SS. Cæsarea Majestate, omnibusque  
externis & internis Regibus, Potestatibus,  
Electo-ribus, Principibus, Ordinibus Im-  
perii, vicinis Rebuspublicis, & universo  
mundo, de invasione, inaudita iniuria, &  
vi, ut & de omnibus nobis, nostrisque pro-  
vinciis, subditis, vicinis etiam nostris Com-  
membris Imperii, illorumque provinciis  
inde orituris malis, præjudiciis & damnis,  
protestamur, nobisque contra omnes, qui  
ullo modo, ope & consilio cooperantur &  
se qualitercunq; harum molitionum par-  
ticipes reddiderunt, omnia remedia Juris,  
& legitimam vindicationem omni meliori  
modo reservatam volumus; Spe fieri haud  
dubia, justissimum Deum, cui innocentia  
nostra, & Justitia Causæ patet, potenti &  
robusto brachio, ut & Sac. Cæsare. Maje-  
statem, omnesq; Reip. Christianæ Proce-  
res, præsertim illos, qui ad manutentionem  
salutarium Imperii Constitutionū, & an-  
tedictæ Pacificationis Monasteriensis, ad-  
eò sanctè se obligarunt, sufficientibus viri-  
bus, contra injuriam, & vim tam atrocem  
nobis robur addituros; eam etiam in fide-

Anno  
1651.

lem & dilectam nostram Nobilitatem, Ordines provinciarum & subditos in universam; tam Principatus nostri Clivienſis, & utriusque Comitatus, Marchiæ & Ravenspergentis; quàm etiam noſtrorum Ducatum, Juliacenſis & Montenſis, ob egregium nobis ſat probatum candorem animi, indubitata fiduciam clementer collocamus, atque ſingulis & univerſis, ſub comminatione graviffima in eiufmodi caſibus, in præfato Jure communi, Reſſibus Imperii, & Inſtrumento Pacis indictæ pœnæ, ſummaque noſtra indignatione, privatione etiam omnium à nobis noſtrisque Majoribus conſefforum privilegiorum, juriũ & immunitatum, vigore harum ſeverè mandamus, ut nobis contra hoc, inter Ethnicos & Turcas nunquam comprobatum facinus, atrociffimam iniuriam & meram vim, robore & viribus ſuis benevolè aſſiſtant, nec ſe per Electoralem Brandenburgenſem ſumma pœna dignam avocationem, & præſentiam comminationem, in ſua nobis debita fide, devotione & obedientia averti & abduci patiantur, ſed ex noſtra parte ſemper cum legitimo ſuo Principe & Domino conſtanter perſiſtere velint & debeant.

Qui è contrario votum ſibi præſentant.

dant, nos ipsos obiectu corporis, vitæ & Anno  
 fortunarum summis viribus contra quem 1651.  
 cunque defensores, protecturos, atque  
 hæc illorum efficia, & continuatam fidem  
 & obedientiam, erga singulos & univer-  
 sos, principali gratia & favore agnoscere  
 & demereri non destituros. Actum in ci-  
 vitate nostra Düsseldorf, 21. Junii, an-  
 no 1651.

*Wolfgangus Wilhelmus.*

Dictu incredibile est, quantum metum *Metus in-*  
 improvisi hi motus in universa provincia, *gens in*  
 & non minus in aula Palatino-Neoburgi- *provincie*  
 ca, concitarint, præsertim, cum omnia præ-  
 ter expectationem acciderent, & nemi-  
 nem non causa atque origo huius seditio-  
 nis lateret. Fiducia tamen nonnullorum  
 animos occupaverat, dissidium hoc brevi  
 compositum iri, quod confœderatis Belgii  
 Ordines, animum eò explicuisse intellexe-  
 rant, nihil sibi cum his motibus rei fore,  
 nec Electori Brandenburgensi ullo mo-  
 dose, clanculum vel apertè, opem la-  
 turos.

Dùm igitur literis pars utraque discep-  
 rat, Brandenburgici interim & Neobur-  
 genses in Ducatu Juliacensi hostiliter con-  
 gredi incipiunt, & neuter non ad dilatan-  
 das

*Congres-  
 sus primi  
 hostiles.*

**Anno**  
**1651,**

das vires, maximoperè collaborat. Hinc Princeps Palatinus, milite in diversis locis cogi iusso, copiis suis Baronem Rauschenbergium summum Moderatorem præficit: Elector suos, equitatū quidem, Goldsteinii Generalis; peditatum autem Sparrii, Generalis quoque Præfecti, imperiis committit: cui militiæ plerique Hassiaci milites, qui ante paucos dies Novesii exauthorati fuerant, nomen reddiderunt.

Inde Elector Brandenburgensis, quæ juxta Angerortum castra habebat, indies novo & frequentiori milite adimplet, & præter tormenta, varium comearum bellicum eò convehendum ordinat: quo fine ad diem h. 28. Junii, 8. Julii, peditum cohortes 21, equitum 2, subvectis machinis 7, bellicis, Tremoniam prætergressæ, illuc descenderunt: sex autem legiones Lotharingicæ Monasterium Eyseliæ contenderunt, quibus tamen, non ut Principi Palatino Neuburgensi (quod quidem fama spargebatur) opem ferrent, sed in Flandriam progressæ, reliquo exercitui Lotharingico adiungerentur, mandatis iniunctum fuit. Plura de hac materia suo loco & tempore attexemus.

**Belli Ven-**  
**nesii 1651**

Suspensio aliquantum bello Brandenburgico, ad describendum res, inter Vene-

tos & Turcas in Candia, Dalmatia & mari Anno  
 Aegæo, quod vulgò Archipelagum appel- 1651.  
 lant, gestas accingimur, quem eundem ti- *Turcis*  
 tulum ni fallimur, pagina 60. & aliquot se- *continua-*  
 queribus libri antecedentis secundi tra- *ta relatio.*  
 ctavimus: cui ut præsentem materiam an-  
 nectamus, locus & historiæ ordo sug-  
 gerunt.

Pro more igitur initium de bello Can-  
 diotico facimus, ex quo regno, postquam  
 Serenissima Venetorum Respublica nun-  
 tium accepit, Turcas, Duce Hassuf Bassa  
 triremibus triginta militem, commeatum  
 tormentarium & annonam, Caneæ pro-  
 pugnaculo feliciter subvexisse, id quod ne  
 fieret, Classis Veneta (quæ concussarum  
 navium ruinas reparatum, in diversis locis  
 hærebat) impedire non potuit, levatis ite-  
 rum ex ærario auri millionibus tribus,  
 mense Decembri naves duodecim milite,  
 commeatu & auro onustas illuc dimisit,  
 Classis autem Præfecto, Jacobo di Riva,  
 in patriam redeundi potestatem conces-  
 sit, in cuius locum Lucam Franciscum Bar-  
 barum surrogaverat: qui ut navibus An-  
 glicis & Belgicis, quæ nuperrimè in portum  
 intraverant, satisfaceret, ingentem vim au-  
 ri accepit, quò tantò facilius earum opera  
 in continuando bello uteretur.

Inte-

Anno  
1651.  
*Veneti  
minaci  
Turcarū  
furori ni-  
hil ceden-  
dum ar-  
bitrantur.*

*Candia  
regni sta-  
tus exul-  
ceratissi-  
mus.*

Interea apud Constantinopolitanos de pace cum Venetis, nemo impunè loquebatur: & licet certò exploratum esset, ibi locorum ad instruendam ingentem classem magnos apparatus fieri, quantam secula priora nec viderint nec audiverint: animus tamen invictissima hæc Respublica ideò non abiecit; sed iustitiæ causæ confisa, ac divino auxilio freta, ad continuandum bellum omnia instruxit, tributa adauxit, & quotquot navium in portu potiri potuit, in classem usum adhibuit.

Res autem Venetorum hoc circiter tempore apud Candiotos loco non optimo fuisse, benevolo lectori ex subsequenti relatione facillè patebit, quam à primario quodam Officiario Classis Venetæ transcriptam habemus, qui ex portu Standiano, die 26. Mart. anni præsentis, in modum sequentem refert:

Modernum (ita inquit ille) nostrum statum in hac regione quod attinet, ille tam est miserabilis & exulceratus, ut peius à quoquam describi non possit. Commutatio *Generalissimi* nostri *de Riva*, cum alio Classis Præfecto, iam ante annum in Senatu augustissimo conclusa fuerat: Invidia autem nonnullorum horum hominum tanta est, ut non solùm alter alterius ho-

noti



honoræ virtuti inuideat; sed etiam, ubicun- Anno  
que etiam potest, impedimento sit atque 1651.  
obstaculo: id quod cum totius Reipubli-  
cæ summo exitio, manifestoque & inepa-  
tabili damno coniunctum esse, nemo sit  
qui dubitet. Prædictus noster Generalissi-  
mus hoc autumno in patriam redire co-  
gitavit: qui ut, quicquid laborum & diffi-  
cultatis superest, in successorem devolve-  
ret, classem in extremum miseræ statum  
redigi, & rerum omnium ad illam perti-  
nentium penuriam fieri, passus est. Domi-  
num de Riva Equitem, ad eò indignè tra-  
ctavit, ut famam eius atque auctoritatem  
Venetiis minuere, summoperè conatus  
sit. Hic multò minùs illi pepercit, dùm se-  
cunda vice, unica duntaxat nave instru-  
ctum, hostium insidiis in Aegæo mari seu  
Archipelago obiecit. Ad eundem modum  
cum Candia Gubernatore processit: un-  
de tanta hominis huius iniquitate, male-  
volentia atque foedissima parsimonia pro-  
curatum, ut hac sola æstate aliquot millia  
hominum indignè perierint, quibus ho-  
stes ne semel quidem visi sunt.

Cùm hæc fraus novo Classis Præfecto  
suboluisset, discessum Venetiis, quamdiu  
usque potuit, distulit, donec dolum & ini-  
quitatem apud omnes patere cognosce-  
ret.

Anno  
1651.

rer, & refertur iam postremis literis, ipsum adhuc in tres menses dilationem impetrasse, quamobrem hic expressum quendam Venetias ablegavit, qui iniquum huius belli statum Reipublicæ repræsentaret: Cui & hoc accedit, quòd antedictus de Riva hac occasione Venetias quoque profectus est, id quod forte non citra auctoritatis atque existimationis diminutionem fecerit. Adhæc Generalissimus in Candia apud Rempublicam impetravit, ne Gubernator Candiotarum intra urbis Candiæ pomeria delitescat, sed ad legem officii, receptam in se provinciam bello maritimo exerceat, quapropter heri huc ad nos venit, sed tenuem classem numerat. In hoc portu p.t. subsistunt Galleazzæ quatuor, tritemes viginti; ad San-Toderum quatuor, & Spinalongæ duæ; in quo universæ Classis nostræ robur adhuc constitit. Capitaneus, recens Classi præfectus, quem ante tres menses, ad minimum, cum viginti, vel quatuor & viginti navibus venturum sperabamus, ante paucas septimanas, cum unico duntaxat navigio, & Celoce una Venetiis advolavit.

Candia hoc uno mente bis me habuit, ubi afflictus rerum status cernitur, & mirum, si urbs illa quotidie ab hostibus non

vi

vi capiatur. Præsidium, quod in civitate, & Anno  
munitionib. exterioribus alitur, vix mille 1651.  
hominum est. Excubias adduci deduci vi-  
di, & noti Officiarii omnem mihi informa-  
tionem de statu civitatis dederunt, etsi sci-  
rent, munitionum conditionem jam antea  
mihi non ignotam esse. In duobus tribus-  
ve Ravelinis, Lunatis aliisque operibus, vix  
unum excubitozem teperias, & miracu-  
lum dixeris, si valetudine integra est, & fa-  
me non contabuit. Octo menses sunt,  
cùm ex Electorali Bavarica militia legio  
una 1800. hominum appulit, ex quibus  
vix trecenti adhuc superstites, id quod le-  
gionis illius Legatus, qui ante aliquot an-  
nos in Italia sub me signifer stipendia me-  
ruit, mihi significavit & monstravit; & no-  
vigo præter Italos, Albanenses, Slavos  
nos & Græcos, ultra triginta eimodile-  
giones, cum quibus pari ratione actum es-  
se nemini. In primis autem hac estate trans-  
fugium vitio adeò non vertebatur, ut sin-  
gulis ferè noctibus novi aliquid acciderit.  
Transfugiunt autem ad hostes Officiarii æ-  
què ac milites gregarii, Centuriones, Vi-  
carii & vexilligeri, cum vexillis; quali-  
ter ante tres dies adhuc, cùm in Candia es-  
sem, accidit, ubi Vicarius cum 26. com-  
militonibus, de sexta excubiarum statione,

G

trans-

Anno  
1651.

transfugit. Eiusmodi transfuga factus est vigilum in civitate Candia Præfectus, die Solis proximè præterita: namque, cum horis maturinis munimina exteriora obsequitaret, ac si quasdam hostium insidias disiecturus esset, arrepta hac occasione nostrorum manibus elapsus est: quas verò hic homo (quem etiam minimum in civitate non latet:) ad hostes informationes allaturus sit, non difficulter iudicandum est. Nec ex militum lascivia seu petulantia eiusmodi transfugia emergunt, sed ex pura necessitate, & inepta tractatione militum, id quod antedictus vigilum Præfectus literis ipse confessus est. Et quia Basfa, qui urbem obsidio premit, quibusvis transfugis salvi-commeatus libellos promittit, res eò devenit, ut miles à transfugio cohiberi amplius non possit. Ante aliquot mentes Candia quoque Gubernator cum nave una defecit, ast non ad Turcas. Similiter in Sudano propugnaculo nuperis diebus conspiratio coquebatur, cum qua res eò venerat, ut omnia finem consecuta essent, nisi ille, qui horam irruptioni destinatam hostibus significare debebat, dum per mœnia tunc dimittebatur, præcipitio mortem sibi conscivisset. Idem mali etiam munimentum Spinalonga sensit.

Hac

Hac hyeme hostes tribus vicibus mili- Anno  
 tem & com meatum bellicum omnivarium 1651.  
 in Candiam exportarunt. Postrema vice  
 advehebantur navigia undecim, quæ San-  
 Theodori propugnaculum prætergressa,  
 nostris insipientibus Caneam appule-  
 runt. Bassa, sub cuius imperio Turcæ an-  
 te Candiam militant, circiter duorum ja-  
 ctuum tormentariorum digressu ab urbe  
 munimentum excitavit, mœnibus ex omni  
 parte cinctum in forma quadrata, propu-  
 gnaculis quatuor. Munimentum hoc no-  
 va urbe circumdedit, in qua cum omni  
 commilitio habitat, ac si perpetuò res ita  
 gerenda esset: & ex hoc latibulo Candiam  
 commodè infestare potest, ut ex hac urbe  
 neque aditus neque abitus cuiquam tutus  
 pateat. Constat autem hodiernus ejus ex-  
 ercitus, præter præsidia, viginti circiter ho-  
 minum millibus, qui jactare intelliguntur,  
 futuro vere se nostris formidabilem quin-  
 quaginta navium, Galleazzarum decem,  
 & circiter centum triremium (Tischeuquis  
 & annonariis navigiis exceptis) classem  
 objecturos esse. Constantinopoli naves  
 quindecim novæ constructæ sunt, & cum  
 his totidem Anglica, Gallica & Hollandi-  
 ca mercatorum navigia, tùm etiam triginta  
 Barbarica in belli usum coacta. Hæc b.

Anno  
1651.

domade naves Barbaricæ quinque juxta  
*Cytheram* insulam, quam moderni incolæ  
*Cerigo* appellant, & in *Agæo* mari versus  
Occidentem prima est, navem unam ex  
nostris captivam tenuerunt, in qua, præter  
ingentem vim auri, ultra centum præcipuæ  
existimationis fœminæ vehebantur, & in  
Italiam navigaturæ erant. Ostium ad  
Dardanellos, NB. ubi hostilem Turca-  
rum exercitum tanto tempore & sumtu  
impeditum tenuimus jam undiquaque  
patet, nec apparet, nostros hoc anno, ad-  
versus hostes quidquam valituros esse.  
*Hactenus ille.*

Ex qua ampla relatione clarum & ma-  
nifestum est, ad quas angustias res Veneto-  
rum hoc anno in nobilissimo regno Can-  
diæ venerint: hinc æquum & justum fore  
arbitramur, si quicumque orbis Christia-  
ni Monarchæ & Republicæ, fluctuanti  
huic Venetorum statui tempestivè opem  
ferant, idque ad tanti momenti propugna-  
culum, adversus immanes, & juratos nomi-  
nis Christiani hostes, tanto potentiori ma-  
nu conservandam.

Venetiis certiores facti sumus, Rempu-  
blicam Venetam, durante hoc quinquen-  
nali bello circiter triginta duos auri mil-  
liones impendisse, & plus quadraginta ar-  
matorum

matorum millia regno Candia illata esse. Anno  
 Hinc factum, licet Turcæ Candia urbis 1651.  
 oppugnationem omni modo vehementi-  
 tiori, & jam à longinquo tempore, urge-  
 rent, quòd tamen (superis prohibentibus)  
 voti sui minus compotes fieri, nec nostris  
 vim aliquam notabilem adferre valuerint:  
 qui potius hostilem quandam cohortem  
 in itinere adorti, 50. millibus numerum  
 Regalium emunxerunt, & unà duodecim  
 mulos, munera ampla Bassæ Usaimio no-  
 mine regiminis Turcici Constantinopole  
 advehentes, feliciter obtinuerunt, cum 60.  
 Janizzaros ad captivitatis necessitatem re-  
 degissent.

Præfatus Bassa (ut quidem ex Candia  
 relatum est:) tentaverat, in recuperando  
 San-Theodori munimento, cuius felicem  
 expugnationem historia anni præcedentis  
 exhibet, belli aleam experiri, quo sine ra-  
 tibus aliquot majoribus rem aggreden-  
 dam ratus est: verùm eandem maris tem-  
 pestatem, quæ classis Venetæ Præfectum  
 de Riva, cum ex Standiano portu versus S.  
 Theodori propugnaculum navigaret, in  
 Melitem insulam reiecit, adeò obluetan-  
 tem exvertit, ut ratiū confectione &  
 submersione facta, tanti laboris successu  
 omninò destitueretur. Aiunt, modò no-  
 mina-

Anno  
1651.

minatum de Riva apud Melitenses Equites per honorificè habitum esse: qui cum deinceps in Candiam navigaret, eo itinere in successorem suum, Lucam Franciscum Barbarum, incidit, & dimissis ex more velis, quo vis officiorum cultu ipsum prosecutus est, superiorem suum ipsum agnoscendo.

Eo tempore nostri in Candia aliquot centum Turcas, qui prope arcem Girape-tram appulerant, oppresserunt, quorum pars non exigua ferro delecti sunt, reliquis autem præda sexagies mille numerum regalium, ut vocant, ablata est. Ante urbem Candiam verò in munitionem Martinego dictam novi duo assultus facti, quos tamen obsessi omni vice, non sine notabili occisorum vulneratorumq; strage, masculè represserunt.

Senescente Aprili, missis per celocem quandam Venetias literis, Nauarchus Senatui nunciavit, Turcas quàm mari quàm terrâ formidabilem exercitum cogere: unde extremam necessitatem postulare, classem Veneram, & pedestre commilitium novis supplementis obfirmari, idque tanto magis, quod primarius quidam Officiarius ex Candiano præsidio ad hostium partes defecisset, procul dubio de tenui magni  
huius



huius momenti munimenti statu illos e- Anno  
docturus: hinc rumorem circumferri, Can- 1651.  
dianos, relicta muniminum externorum  
propugnatione, ad interiora oppidi opera  
concessuros esse, ut urbem adversus ho-  
stium assultus tantò potentius defen-  
dant.

Ingratum hoc nuntium in causa fuit,  
quòd Commissario constituto, Hierony-  
mo Bondemiero, in Collegio significare-  
tur, provinciæ dexteritati suæ concreditæ  
sedulus præesset, & se cum septem illis na-  
vibus, ad solvendum paratis, quarum  
nomina sunt, *Aquila nigra, S. Georgio, S.  
Petro, Daniele Propheta, Virgine Deipara ad  
vineam, Eadem ad caminum, & S. Grego-  
rio*, & numerato ære, in bellum Candia-  
num expendendo, adiunctoque sexcento-  
rum militum, maiorem partem Germa-  
norum commilitio, itineri accingeret.

Sub initium Maii, triremi quadam Ve-  
netiis sexaginta Ungaricorum millia in  
Corcyram insulam (quæ indies novis mu-  
nitionum operibus crescebat:) exportata  
sunt, qua opima escâ, ceu aquilæ cadavere,  
pars militum remigumque invitati, de in-  
tercipienda illa clandestina consilia contu-  
lerunt, conjuratione inirà, post necem Præ-  
fecti Gabrielis, se cum triremi ad Turcas  
transfu-

Anno  
1651.

transfugituros esse. Justo autem citius hominum horum erupit iniquitas: inde coryphæorum duo temeritatem suspendio luerunt, & sexaginta circiter transtris ad scalmos confidere iussunt. Ad liberandam igitur prædictam triremem, alia cum sexcentis militibus in auxilium emissa fuit: quo tempore etiam classis Venetæ Præfectus, *Jacobus de Riva*, ex *Ægæo* mari Venetias rediit, nuncia adferens, Turcas cum septuaginta navium classe juxta insulam *Scio* hæere.

Tandem etiam Venetorum literis, 7. Julij exaratis perscribitur, quatuor hostium millia, quos *Cocconius*, vigilum Præfectus Generalis transfuga imperio regerat, *Candiam* insidiis adorta esse, qui licet propugnaculum *S. Demetrii* duobus assultibus tentarent, attamen non sine cæde, mille quod creditur militum, inter quos *Cocconius* numeratus, repulso fuisse. Et tantum describendis rebus *Candioricis* debebatur.

Dalma-  
tica.

Dalmaticarum historiam contractiori narratione comprehendemus: & cum in antecedenti libro secundo relatum sit *Foscarinium*, novum Præfectum Generalem mente *Februario* Venetiis in *Dalmatiam* navigasse, nunc porro describendum erit, illum

illum in eadem provincia Zara feliciter ap- Anno  
 pulsum, atque ingenti provincialium ap- 1651.  
 plausu exceptum esse.

Novus hic Archistrategus, simul ac à Fo-  
 scolo, militiae Venetae iis in partibus prima-  
 rio Directore, summum imperium acce-  
 pit, militum delectum habuit, stipendia  
 necdum plenè exoluta exolvit, animumq;  
 induxit, circa Paschatis festum contra no-  
 vum Bosnensium Bassam castra produce-  
 re. Quæis precedentibus, ad diem Lunæ  
 20. 10. Martii Foscolus ex Dalmatia Vene-  
 tias, piam Orbis Christiani speculam, iter  
 ingressus, cum 28. diebus in Lazareto com-  
 m. ratus esset, ulteriori custodiâ liberatus,  
 in reditu à populo magnificè, displois ex  
 triremibus tormentis, & exoneratis per pla-  
 teas mortariis, in palatium suam deductus  
 fuit, vexilla quadraginta quatuor, quæ no-  
 bilissimus hic Christianæ militiae Candida-  
 tus, diversis cum hoste commissis præliis  
 eripuerat, secum adducens, cui toto quin-  
 quennio feliciter se opposuerat, Clissam-  
 que, invictum & inexpugnabile castellum  
 à plerisque habitum, Christianorum parti-  
 bus adiecerat, & provinciam ultra 20. mil-  
 liarium ambitu in cineres & solitudinem  
 redegerat.

Non ita longè antè, Christiani exercitus  
 G 5 cohort-

Anno  
1651.

cohortes cum Mahometicis feliciter præliati, 160. eorum capita, 80. captivos, (quos inter impiæ phalangis moderator 4000. numerum regalium pro vitæ lytro dinumeraturus erat: ) & 40. equos ephippiis instructos, Spalatum deduxerunt. Ast è contrario duo Turcarum millia, quidam octo scribunt, Catarum aggressi, suburbia exspoliarunt, subjectoque ipsis Vulcano, 200. Chrittigenas in captivitatem abduxerunt, & adventantibus postea Venetorum triremibus, quibus præfidiarii facta eruptione opem ferebant, cum præda captivisque naves suas repetierunt.

In Clissa, primario provinciæ propugnaculo, proditio suborta quibusdam necis causa extitit, qui capitibus truncati, quod locum Turcis d. dendum conspirassent, Officiariis rei Divinæ in templo vacantibus.

Morlachii nobilissimi animi milites, mille Turcas in finibus Clissæ aggressos, in fugam coniecerunt, 300. trucidarunt, totidemque vulnerarunt, centum autem captivos duxerunt, equos etiam 200. & vexillum prætorium cum aliis pluribus suæ potestatis fecerunt. Deinde apud jam dictum Catarum circiter 1000. Turcæ, qui tres pagos diripuerant, flammisque deleverant.

verant, à rusticis mactati sunt. Hæc de bel- Anno  
lo Dalmatico. 1651.

Jam etiam de maritimo, & si quid ex  
Constantinopolis succurret, Mercurius no-  
ster sermones miscebit. De dato 7. Febr.  
Venetiis perscribebatur, cum Consilium  
Turcicum multos incolas ad bellandum  
cogere, reliquos autem novis exactioni-  
bus prægravare vellet; totam inde civita-  
tem in arma motam insurrexisse, atq; Pro-  
tosymbolo, nec non thesaurario magno,  
& prætorianorum Præfecto, capita præse-  
cuisse: id quod etiam ipsius Imperatoris  
viduæ facturi fuerint, ni Spahi de ipsius sa-  
lute viam invenissent; Hinc factum, ut  
mater minorensis Imperatoris jam guber-  
nacula Reipub. moderetur.

Interea ingens Turcarum apparatus  
contra Rempublicam Venetam undiqua-  
que prædicebatur, quo nimirum novo ve-  
re 8. triremibus, sex navigiis, quæ *Maonas*  
ind getant, & maioribus aliis, Cretam in-  
vasuri, omniaque illius plagæ loca, cum i-  
pso etiam mari Adriatico, suo imperio sub-  
jecturi sint, ne amplius inde Christianorum  
exercitus subsidio frui possit. At Venetiis  
sedulò opera dabatur in expediendis 36.  
triremibus, sex Galleazzis, & 40. majoris  
generis navigiis, spe freti, se fortunante  
Deo,

Anno  
1651.

Deo, impios Barbaricæ turbæ furores feliciter suppressuros. Etsi etiam Legatus Gallicus apud Divanum egregiè pro Rep. Venera disseruerat, & ipse quoq; Muphtæus satis cognoscendum exposuerat, quòd ex eo, quo bellum hoc cum Venetis iniquè inceptum sit tempore, Imperio Ottomannico nil nisi aduersa obtigerint: in quorum numero reponendam mortem Ibrahimi Imperatoris, prælia sinistra, interitum triremium, terræ motus, insulas flammivomas in Archipelago, &c. ex quibus vindicta Justitiæ divinæ cuique patefcatur: Verùm enim verò surdo narrabatur fabula, & proceres voluntatem pro ratione colebant, ante videlicet traditum ipsis Cretæ Regum Christianis pacem non futuram.

In his anni primordiis barbarica quædam moles cum triremibus in Insula Berca, Corcyræ confini, litus legit, plurimos ibi incolas acinace delevit, insulamque desolatam deseruit.

In aula Imperatoris Romani ex Constantinopoli de dato 20. Maij habebatur, expediri ibi ingentem classem, mense Julio Cretam aggressuram, eoque fine in armamentario Constantinopolitano viginti magnos Galleones in parato stare, inter quos unus propriis Protosymboli sumptibus

bus extructus, octuaginta majoribus ma- Anno  
chinis Turcicis ferendis sufficiat, sed cum 1651.  
tantus hic exercitus altum petiisset, Mon-  
strum hoc navigii cum 80. tormentis, dum  
disploderentur, disruptum, ponto periit,  
quòd Venetiis de die 21. Julii ita ad nos  
relatum fuit. Ad infringendum pro viribus  
barbaricum robur, novus Generalissimus  
Leonardus Foscolus Mercurii 9. 19. Julii  
cum 10. navibus bellicis, 6. mercatoriis, 24.  
frumentariis Venetiis ad Classem vela sol-  
vit, cum reliquis vires experturus, contra  
Turcas, qui 70. navibus apud insulam  
Scio consistebant, cuius consilia Dominus  
exercituum fortunet.

Nunc Polonia pervolanda: de qua & *Conditio*  
in priori Relatione nostra gratiofus Dn. *Status Po-*  
Lector videre poterit: Ibi interim *Cosac- lonici.*  
ciorum ductor Chmielniccius ad Regem  
litteras dabat, admirationi sibi esse signifi-  
cans, quid causæ regni proceribus fuerit,  
suscipiendorum adversum se armorum:  
cum transactæ pacificationi hætenus ho-  
nestè steterit, vel si quid in contrarium e-  
venerit, se in scio, & citra mandatum eve-  
nisse, nec se meritæ violatorum punitioni  
desuturum. Cui Rex respondit, nihil  
sibi hostile metuendum, sed cum suis Co-  
saccis contra regni hostes paratus excuba-  
to. In-

Anno  
1651.

to. Inde à Rege multa conscribendi militis diplomata distribuebantur, quorum numerus complectebatur, ter mille Husaros, 16000. Cosaccos, bis mille pedites Polonicos, 2000. equites cataphractarios, 12000. bombardiferos Germanicos, & quindecim mille Lithuanicos, ita ut Rex præter regnicolarum convocatum robur, quinquaginta millium exercitu, ex conscripto milite selecto, iuvante Deo Marti se commissurum constituerit, propterea quòd Chmielnicci, fraudes in agis magisq; in apicum prodirent, omnisque animi inclinatio & affectus evanuerit. Verùm, cum sapientis sit, ut omnia prius consilio experiatur, quam armis agat: Conventus ex utraque parte lectis Delegatis Kioviai indicebatur, cui sex Magnates Polonici interfuisse debebant: Chmielniccius tamen & Cosacci tandem detrectabant consensum, quin potius ancipiti Martis eventum rem committere satagebant, quod in hac Relatione palàm fiet.

Cum ergò copiarum Polonicarum undiquaq; convenirent, dum dilectus in Polonia & Borussia feliciter magnoq; numero peragitur, dum universo etiam nobiliù ordini sequela indicitur, Rex 3. 13. Aprilis, erat Jovis à Paschate, quarta matutina Varso-  
via



viâ Lubliniam proficiscitur, quem Regina Anno  
quarta eiusdem diei vespertina istuc co- 1651.  
mitata, dato regni copis mandato, ut 20.  
Martii gradum moveant, & lustrationi Lu-  
bliniæ se sistant. Chmielniccio interim  
140000. exercitu ad Borysthenem fl. apud  
sylvam nigram, idoneo loco castra formã-  
te, cuius Cosacci Bialam Carcviam in Ukra-  
nia occupaverant, omnesque neci dede-  
rant, plurimis ex imbelli mulierum & in-  
fantium sexu & ætate flamma deletis.

Chmielniccius 12000. Tartarorum in  
castris habebat: comperto ergò, quòd  
adhuc quadraginta eorum millia acceptu-  
rus esset, Rex copias celeriter, nocte die-  
que, iter perficere, indictâque mortis pœ-  
nâ, apud Calinusium regni polemarchû,  
convenire jubet: ipse, quamprimum per  
tempestatem liceret, cum universo regni-  
colam robore, in confinia secuturus.

Calinuscius Nicevium Generalem Co-  
sacciani equitatus Provicarium, militem a-  
lioquin celebrati nominis, ex Tartaria o-  
riundum, cum Bacchanalibus inhæreret, &  
aliquot millia furacis plebis secum addu-  
cta haberet, ad Crosnam aggressus, ipsum  
Nicevium cum 3000. & quod excurrit,  
trucidavit, captis etiam quam plurimis, de-  
perditis verò ex Polonis suis quingentis.  
Indignè

Anno  
1651.

Indignè cladem ferens Chmielniccius tandem dicebat, omnibus limites territorii excedentibus idem se fatum imprecari: suscepto in Nicevij locum Lebecio quodam.

Huic accedit, quòd cum Chmielniccius aliquot millia, ex selecto suorum Cosaccorum & Tartarorum exercitu, in Lithuaniam ablegasset, ad repetendam à Razivilio, quod filii sui matrimonium, cum Hospodaris Walachici filia, irritum fecisset, vindictam: hostes quidem castra Lithuanica invaserunt; sed à Razivilio, qui duodecim millium exercitu aderat, victi, & octo millia, tam in ipso pugnae loco, quam fugâ, cõcisi sunt, relictis ex suis duobus millibus.

Nec hoc relatu indignum, quod copiae regiae, per Borussiam meantes, tantam provinciae perniciem intulerint, ut res nõ multum ab expeditione hostili abfuerit: hinc incolae, cum non viderent, qua via, quo vè pacto in posterum rei domesticæ ratio instituenda, regem supplicando de subsidio compellarant: quòd ad exolvendas contributiones & pecus, & quid præterea in residuo fuerat, obtulerint.

Tribunus, cui Maius nomen erat, ex Cosaccorum corpore, per subornata Rescripta, à civitatibus & pagis quibusdam, tantam

tam vim auri expressit, ut 600. militibus Anno  
 conscribendis per fuerit, ratus omnino, si 1651.  
 à copiis his paratus foret, se quam primum  
 Rex in castra prodiret, Varsovia, hoc tem-  
 pore ab omni præsidio vacua, potiturum,  
 eamque spolio mactaturum, quod de da-  
 to 10. 20. Martij ita relatum fuit. Sed frau-  
 de lucem petente, cohortes oppressæ, qui-  
 dam interempti, & Monachus Dominica-  
 nus, cum 15. Officiarijs, & centum quin-  
 quaginta quinque gregarijs, Varsoviam  
 deducti, architectus autem sceleris equo  
 fuga elapsus est: captivi cum constanter e-  
 dicerent, quod subornatorum sui Conscri-  
 ptoris diplomatum ignari fuerint, nec a-  
 liud animo sederit, quam quòd ad Regis  
 servitia conducerentur, à Senatoribus regni  
 insontes pronunciati sunt.

Medio procurrente tempore, copiæ  
 Polonicæ Cosaccis oppidula quædam (etsi  
 non sine suorum detrimento) eripuerunt,  
 civitatem etiam VVinnicam gravi insultu  
 oppugnarunt, & cæteris communibus ali-  
 quod monasterium, quò quædam millia  
 Cosacciorum refugerant, obsederunt; ex  
 quo cum Cosaci ex desperatione depugna-  
 rent, multosque Polonicos conciderent,  
 tandem loco feliciter expugnato Cosaccos  
 omnes ad Orcum transmiserunt, & opi-

H

mam

Anno  
1651.

man prædam fecerunt, Totus hinc Co-  
saccorum exercitus coadunatus, in præpin-  
quo castrorum Polonicorum confedit, ut  
Dux regius celerante cursore auxilium fla-  
gitaverit, alioquin se hosti, qui quotidie  
novas vires capiat, parem non futurum.

In expugnanda Winnica, ubi Cosacci  
jam pangendæ transactioni insistebant,  
Poloni longiorem moram nexuerunt: Ita-  
que à Chmielniccio, de cuius adventu  
nuncium nullum suppetebat, celerius op-  
pressi fuerunt, qui obsidibus in Winnicâ  
in frustra dissectis Polonis ex mœnibus ante  
faciem projecerunt: quos viso Poloni etiam  
Cosaccorum obsides, ex Winnica acce-  
ptos, inspectantibus hostibus, vivos hastis  
transfixos, à digressu suo post se relinque-  
runt, Et cum tantæ hostium potentia non  
pares se esse animadvertent, decem mil-  
liaribus versus Baram recesserunt, interim  
ex desperato præliantes non mediocrem  
eorum numerum mactarunt, quorum pe-  
ditatum Cosacci persequendo affecuti, vi-  
cissim circiter 1200. præter captivos, inter-  
emerunt.

Idcirco universalis omnibus regnicolis  
sequela indicta, & quisquis intra deci-  
mum sextum, & sexagesimum annum con-  
sisteret, sub pœna & fortunarum & existi-  
matio;

mationis, ad exercitum convocatus fuit. Anno  
 Is etsi circiter octo vel 10000. Cosaccos 1651.  
 prostravisset, quædam etiam loca interce-  
 pisset; aliud tamen nec apparebat, nisi  
 quod Cosacci tantum ad speciem refugium  
 quæsierint; cum tandem Polonos non so-  
 lum retrò pepulerint, sed etiam pedita-  
 tum, quem ex Germanis ad tria vel quatuor  
 millia habebant, unâ cum re tormentaria  
 (18 machinæ erant:) spoliarunt, ita ut Po-  
 loni aliquot retro milliaria cesserint.

Jovis 3. 11. Aprilis, ut supra, Rex ad ca-  
 strâ profectus, quò ingens regnicolum nu-  
 merus congressus; ante abitum magnus  
 Dux Moscoviæ per Legatum, qui Germa-  
 nicus quidam Officiarius fuit, certioré fe-  
 cit, quod in subsidium Polonorum 80000.  
 exercitu, versus Cosaccorum fines conten-  
 deret: Turcarum enim Imperatorem cum  
 Chmielniccio fœdus pepigisse, quod vide-  
 licet ipse & ipsius populus ab omni tributo  
 liber & immunis esse debeat, & Legatus i-  
 psius titulum eamq; præminentiam per-  
 petuo in aula Ottomannica habiturus sit,  
 quam alioquin alii familiæ Ottomannicæ  
 cognati Principes obtinere soleât, è diver-  
 so, quòd Chmielniccio alium neminem,  
 præter Turcicum Imperatorem, superio-  
 rem recognoscere debeat. Ad perficien-

Anno  
1651.

dam pactionem Turcicus Imperator Legato, ad Chmielnicium amandato vestimentum ipsi, acinacem, duosque præcellentiores caballos dono obtulisse dicitur. Interim, dum hæc scribimus, fert rumor, Patriarchiam Constantinopolitanam, Ecclesiæ Græcicæ Pontificem cuius membra tam Cosacci quam Molci sunt, Magnum Moscorum Ducem in aliam viam inclinasse, volvi dicens, bellum hoc de causa Religionis, in qua Ecclesiæ Græcicæ salus & interitus consistat; non itaq; fas esse, ut propriæ Religionis cultores persequatur, quin potius opem ferre, ipsius officii sit.

Sexta Maij Rex ipse Lublinia ad castra pro conscriptis militibus Germanicis efformata, Zoccaliam se conferebat, quem Regina committabatur. Præter castra hæc Germanica, exercitus militum finalium adhuc apud Camieniciam in Podolia consistebat, quo etiam omnis subditorum numerus evocatus fuerat: Chmielniccius apud Constantinovam hærebat, & Tartarorû adventum præstolabatur, quo facto Polonos aggressurus putabatur.

Decima tertia eiusdem 9. Calinuscius Polonorum Archistrategus, à Camienicia cum exercitu Soccaliam ad regem procedebat.

debat. Quod cum hostis exploratum ha- Anno  
beret, valde se torquebat, ad inferendam 1651.  
illi ruinam: sed ipse contra audentioribat,  
donec res in grave prælium exiret, in quo  
ex utraque parte non parvus numerus suo  
fato functus est, ita tamen, ut Cosacci pro-  
speritante Deo in fugam acti, Polonis vi-  
ctoriam concesserint. Deinde Chmielnic-  
cius Caminiecam obsidione pressisse di-  
citur, eamque quatuor assultibus impetiisse,  
sed quartum repulsus re infecta digres-  
sus: multos etiam incendiarios data pecu-  
nia sibi commisit, eosque Poloniae immisit-  
se, qui plures pagos subiecta flamma dele-  
verint, quorum pars comprehensi &  
mactati, unusque eorum mense Julio Ca-  
liscii vivus dissectus, & apud eum aliquot  
centum ducatorum reperta fuerint.

In castris regiis infra Soccaliã res non un-  
diquaq; bene procedebat; sed referebatur,  
quod non tantummodò tonno avenæ 23.  
florenis venierit; sed etiã pondus panis novẽ  
solidis cõstitit. Inde Rex succursum Rus-  
senicum, qui quadraginta milliũ numero,  
cum plurimis vehiculis & annona Padgun-  
gam advenerat, magno affectu desidera-  
bat, certus, si apud Regiam suam Majesta-  
tem se stitisset, Germanicum exercitum,  
qui triginta millibus constabat, hosti op-  
positurum.

H 3

Pro-

Anno  
1651.

Propter gravedinem fœtoris Medici consultum ducebant, ut castra aliò promoverentur: quibus rex obsecundatus, 15. Junii relicta Soccalia quatuor milliari- bus hostii propius accessit, à quo paulò pòst magnam quidem, sed valde cruentam vic- toriam reportavit, quæ & regem, & ho- stem eò adegit, ut etiam de summa rei præ- lium commiserint, in quo tandem 20. 30. Rex victor factus, & incredibilis militum numerus interfectus est, quod hoc præci- puè modo exortum, ut ex ipsis Polonorum castris sub dato Beresetscoviæ 1. Julii trans- scriptum: postquam Mercurii ante die Pe- tri & Pauli 18. 28. Julii, Tartarorum Cha- mus Polonico exercitui circiter 10. vel 12000. millia obviam misit, principio Quarciani aliquam pugnandi causam dederunt, donec regni vexillifero, ut & Principis V Visneweccii legionibus & ve- xillis ad aggrediendum hostem mandata obvenerint, ubi non pauci Tartarorum cæsi, & ad magni milliariis spatium, quâ na- vibus fluvius transitur, in fugam coniecti fuerunt, nullo vel saltè parvo, dante Deo, regionum dispendio.

Jovis 19. 29. huius; Tartarorum Pole- marchus, Chamus ipse, cum omnibus suis gentibus, nec non aliquo Cosaccorum ro- bore



bore incedebat, & exercitus potentiam in Anno  
 aliquo monte spectandam exponerebat. Po- 1651.  
 loni diutius tergiversati, solummodo  
 Quarcianos opponebant, donec tandem  
 temporis ratio tulerit, ut ex utraque parte  
 initium factum, ubi dubio & ancipiti Mar-  
 te utrinque sat diu pugnatum, & tam hac,  
 quam etiam antegressa die præcipuos Tar-  
 tarorum ductores terram osculari oportu-  
 erit, à quo etiam nec nobilissimi exercitus  
 Polonici candidati nec provinciales ex-  
 empti fuerunt.

Veneris 20. 30. Junii in planitie campi  
 utriusq; partis exercitus invicem oppositi  
 videre erat: quatuor puta centena millia.  
 A mane usque ad nonam vel decimam  
 densior suborta nebula volitabat, sub qua  
 Rex omnes suas copias, quæ equites, quæ  
 pedites, nec non in exoticis conscriptos,  
 pulchra acie collocatos in apertum cam-  
 pum ducebat. Ex altera parte incubabat  
 omne robur Cosaccorum & Tartarorum,  
 terribili & nauseoso numero: Hinc utra-  
 que pars dentatis agminibus manuque ar-  
 mata invicem se ingerebat, inter quas du-  
 bius conflictus ortus, ut scire non quiveris,  
 qua victoria sit exitura, sed inter Polonos  
 tristior rei facies fuerit, & sinistri eventus  
 sollicitudo: cum provinciales non medio-

Anno  
1651.

cri se cōfusione involvi per miserint. Cum autem postmodū totus Polonorum exercitus, una cum machinis, formata acie accelerit, neque Colacci, neque Tartari loco consistere valebant, sed ex campo suisque castris regressi, adeò celerem fugam arripiebant, ut paucos insequendo deprehendere datum, & quidquid fugientibus impedimento esse poterat, à se abiiciebant. Hinc magnus numerus lacernarum & equorum Tartaricorum, nec non vehiculorum contectorum; impedimenta omnia, machinæ, omniaque tentoria Chami in puidam abierunt, quod in vesperem usque exiit, donec noctis interventus præliandi finem imperaverit. Rex ea adhuc vesperade victoria tam insigni & gloriosa sub dio triumphans, Te Deum laudamus concinendum mandavit. In cruento hoc conflictu plurimi magnæ conditionis viri, & (ut ex castris Polonicis refertur:) Chami frater, Sultanus Carraccius, item Mursa Mustava; Mursa Halecius, & Mursa Tabebius, cum multis Chami agnatis: ex Polonis plurimi etiam proceres interierunt, quorum nos adhuc clam sunt nomina, nec certus interfectorum ex grege exercitus numerus liquet, quem tamen non parvum fuisse omninò nobis persuademus, quo

com-

comperto, gratioso Dn. Lectori communi- Anno  
cator, 1651.

Passa clade, Cosacci qui praelio non inter-  
fuerant centum millium exercitu loco  
commodo inter curruū ordines sese inclu-  
serunt, & in tantum effossis vallis com-  
munierunt, ut omni Polonorum labore &  
insultu susque deque habito, decendio ita  
constiterint, usi interim per locum palu-  
strem itinere versus Ucrainam, ad addu-  
cendam annonam, & quibus præterea belli  
conditio apud ipsos egebat.

Decima Julii Cosacci ex his castris suis  
Regi multa probrosa dicitia annunciari  
jubebant, ut conditiones videlicet, quas  
ipsis obtulerit, bene observet, ne ipsi effu-  
gerent: quod Regem adeò acriter pupu-  
git, ut V Vaivodæ V Vracuscio Cosacco-  
rum, qui jam fugæ se commissuri erant, in-  
sequendorum provinciam iniunxerit: id  
quod ex uno latere expeditum.

In persecutione hac hostium accidit, ut  
Polonis cursor quidam Turcicus obviam  
venerit, qui ab illo Imperatore ad Chmiel-  
nicium cum literis & acinace auro ador-  
nato munere ipsi futuro, amandatus fue-  
rat, nec minus etiam eiusdem Chmielnie-  
cii scatula, cum plurimis secretis in manus  
regiorum deferebatur, ex quo Rex propter

H s singu-

Anno  
1651.

singularem consiliorum penetrationem,  
valde gavisus dicitur.

Postea Principem VVisneweccium  
cum 15000. Quarcianis sive excubitoribus  
confinalibus, etiam ex patente latere ad-  
versum Cosaccos fortunam periclitari ius-  
sit. Quibus cum equitatus Polonicus  
multos equos pabulatum eductos aufer-  
ret, & ex amandatis numerosis his turmis,  
in castris Cosaccianis fama increbuisse, ac  
si totus Polonicus exercitus præstò esset,  
vi, qua possibile ea adoriendi, exortus inde  
terror panicus contrantus est ut illa adhuc  
die universa castra, qua etiam præpolle-  
bat potentia, enormi confusione se com-  
moverit, & relictis plurimis impedimen-  
tis, aliquali etiam annonâ, equis, noven-  
decim machinis, & id genus aliis, imò et-  
iam ollis & cucumis, igni admotis, fugam  
celeraverit.

Sicut ergo Cosacci undecim his diebus,  
quibus in castris degebant, à tergo ponte,  
quem ex veteribus pellibus, curribus ca-  
meratis & id genus materialibus per loca  
palustria fabrefecerant, ad adducendam  
annonam reliquaq; necessaria, nisi fuerant;  
ita is jam iis etiam in capellenda fuga pro-  
ficuus erat. Sed cum pons angustior, nec  
fide dignus esset, transeuntes inter festinas  
coangu-

eo angustationes invicem se præcipitabant, Anno  
imò partim transverberabant, ita ut locus 1651  
ex occisorum sanguine quasi rubuerit. In  
quo fugiendi modo, tam submersorum  
quàm trucidatorum, ut quidem ex castris  
transcriptum fuit, nova iterum clades cir-  
citer viginti millium accidit, quibus adnu-  
merandus Patriarcha, qui Constantinopo-  
le ad Cosaccorum castra dimissus fuerat, ut  
inconditam hanc Barbarorum gentem,  
suecussus dexterioris persuasione anima-  
ret: quo itidem occiso, quævis eius pretio-  
sa, ornatus ecclesiasticus, & quam ex collo  
dependentem circumferebat, crux magna  
aurea, cum quindecim adhuc signis mili-  
taribus, Polonis victoribus in prædam  
cesserunt.

Direptioni castrorum hostilium integrum  
propè triduum datum: in quibus præter  
cætera adhuc aliquot millia sclopetorum  
longorum per palustrem humum reperta  
sunt. Per castra passim videre erat foveas  
complures, & latibula capacia, in quibus  
tam equites quàm pedites tuto delitescer-  
bant: undè eiusmodi castrorum oppugna-  
tio, procul dubio non unius fortis & ma-  
gnanimi viri cæde ex utraque parte consti-  
tisset, nisi ex singulari numinis divini favo-  
re tantus hostibus terror iniectus fuisset,  
quo

Anno  
1651.

quo consternati intra tam paucos dies, cum  
omni exercitus robore fugæ se dederunt.  
Pro quo summo beneficio, & insigni vi-  
ctoria, cælitus tributa, tibi Deus ac Domi-  
ne exercituum, immortales laudes ac gra-  
tiam debemus, & debebimus, ex hoc nunc  
& usque in seculum. Fortunam verò, quæ  
fugatis profligatisque hostibus, Polono-  
rum castra porrò comitat est, in sequenti  
libro quarto sub eodem titulo enarrabi-  
mus.

*Anglica,  
Scotica &  
Hybernica.*

Sequentem relationem de rebus, apud  
Anglos, Scotos atque Hybernos gestis,  
Mercurius brevi sermone complebit. An-  
gliam quod concernit, regni illius ordines,  
in consolidando Reipublicæ statu, omnes  
nervos intendere visi sunt. Hinc Londi-  
num, quotquot & secularis, & ecclesiasti-  
cæ dignitatis personæ, contra impium hoc  
& scelestum, nullaque Divina autoritate  
fuscitatum regimen, correspondere, loqui,  
agere, scribere, & q̄ majus est saltè aliquid  
sinistri cogitare aulæ fuerāt, negata omnia  
gratia, vario suppliciorum genere è medio  
tolli adspexit: de quorum nominibus, &  
causa mortis, (quæ nonnunquam titivilli-  
rio abjectior erat:) forsitan in subsequente  
Relatione aliquid adnecti poterit. Interim  
Parlamentū Londinense magno zelo fere-  
batur,

batur, & nihil non faciebat, ad conservan- Anno  
dum in pristino suo vigore statum belli- 1651.  
cum, idque tam in Hybernia quam etiam  
Scotia, in quod utrumque regnum, singulis  
ferè mensibus frequens miles & aurum sub-  
sidio exportata sunt.

Coronatio regia I. II. Januarii Schoniz  
in Scotia (loco coronandis regibus solito.)  
magno applausu peracta, machinæ displo-  
sæ, & ignes excitati. Ipse coronationis actus  
tenui cæremoniarum usu expediebatur, eò  
graviùs autem Sterlingiæ, & locis adiacen-  
tibus Comitatus Ficensis, machinæ reboa-  
runt. In coronatione à Dn. Roberto Du-  
glassio concio habita, & in ea Majestas  
sua ad vindicandam summis viribus pa-  
rentis necem graviter admonita fuit, spar-  
sis interim in vulgus missilibus.

Re peracta Rex regio indutus habitu,  
coronam capite gestans, comitante univer-  
so Parlamento, ex quo omnes pallis suis  
adequitabant, magno numero nobilium  
stipate Schoniam egressus, vespere ad St. Jon-  
stun pervenit, quem reverentiæ ergò in via,  
inter Schoniam & St. Jonstun exercitus re-  
gius, plena acie consistens, exoneratis i-  
terum atque iterum tormentis excepit.

Inde in Augustum usque in compor-  
tando apparatu bellico tempus tritum, nec  
tamen

Anno  
1651.

tamen quicquam, quod alicuius ponderis, præterquam leviores velitationes, gestum legitur, & Parlamentares Angliæ ductore Cromvvelio potissimum æquiori Marte usi, Scotis, sed tantum per cohortes, & quorum damno non ita magnopere afficiebantur, infortunium crearunt.

Nec minus in Hybernia res feliciori sidere à Parlamentaribus acta, quibus primaria quædam loca per deditorem accesserunt: reliqua in commodius scribendi tempus reiecta sunt.

*Res in A-  
merica  
gesta.*

In Brasilia Portugalli hoc anni exordio impetu in Reciffacto, 1400, suorum impendio repulsam tulerunt.

Ex Vlyssibona, Lusitaniæ metropoli, de dato 1. 11. Febr. anni huius 1651. perscribitur, ab aliquot inde diebus classem Brasiliensem, quæ 25. Septembr. anni præteriti, ex Baya, quæ omnium Sanctorum nomine utitur, alto se commiserat, felici ibi sidere littus terigisse, Regem autem Dominum Antonium Tellestum de Menezes, Comitem à Villa Bona, qui supremus classis illius Præfectus fuerat, in turrim Bethlehem captivum deduci iussisse, tantaque commotum iracundia, ut ne vel alloquio quidem dignatus hominem fuerit. Tandem fortunæ acerbitatem expertum Pro-præfectum,



Etum illius, Dn. Ludovicum de Sylva, qui Anno  
& ipse, & quidem procul ab illo, in castel- 1651,  
lo Seruval carceri mancipatus fuerit, pro-  
pterea quòd perniciosæ conspirationis  
contra Regiam suam Maiestatem insi-  
mularentur: præcipuæ magnitudinis Gal-  
lionem, à conceptione nomen gerentem,  
apud Porco, in littoribus Galiciæ, Ponto  
interisse, nec plures tribus salvatos, reli-  
quos omnes, etiam Dn. Antonium Telez  
de Sylva, qui annis octo continuis, Regis in  
Brasilia Vicarium egerat, mari periisse.

Interim confœderati Belgii Ordines a-  
pud Legatum Lusitanicum, Hagæ degen-  
tem, restitutionem locorum, Batavis in  
Brasilia ereptorum, acriter urgebant: sed  
responsum in scriptis aliud non ferebant,  
nisi quod in sui Regis potestate res non  
consisteret, cum possessores illorum non  
consensuri, sed in contrarium eventum  
Regis Hispaniæ se protectioni submissuri  
sint: Ac quamvis Legatus promptus fue-  
rit, Dnn. Statibus, & Societati Indiæ Occi-  
dentalis, liberum commerciorum usum  
permittere, itemque octo miliones exol-  
vere, tum etiam orphanis Zelandicis, lo-  
co eius, quod in id negotiationis genus  
contulissent, octo tonnas auri refundere;  
tamen ex parte Statuum nemo erat, qui i-  
psius.

Anno  
1651.

*Matrimonia.*

plius liberalitati acquiescere vellet, sed faciendæ restitutioni pertinaciter inhærebant: quod ni fiat, resolvebant producendum contra Lusitaniam bellum, eligendum Ducem & nativa qualifikatione, & meritis venerabilem, exercitum duodecim millium, expeditioni armatura, quam quidem antehac factum, in Brasiliam amandandum, omnique studio ac labore in recuperationem Bayæ intendendum. Exitum verò in posterum dabimus.

1. In enarrantis Principum matrimoniis principium nobis faciunto, nuptiæ gloriosissimi nostri Cæsaris, Is cum sponsam 19. 29. Aprilis Neukirchii ipse excepisset, eadem illa die cum ea Neustadium reversus: à præcipuis magnatibus magnificè introductus, & Solis 30. 20. eiusdem, per Dn. Episcopum Viennensem, solenni copulatione conjugatus fuit: cui magnus convivorum apparatus accessit. Mercurii 3. Maii styl. nov. Cæsarea Majestas cum nova conjugate, & augusta vidua, Viennam regressa, à centum & quod superare dixeris, carpentis introducta, machinis ter duplicata exoneratione & à civitate in armis præstolante gloriosè excepta, deinde in Templum St. Stephani deducta, ibi à præfato Dn. Episcopo iterum benedicta fuit: quibus sequenti

quenti die artificium pyrobolarium ac- Anno  
cessit, cuius descriptionem brevitatis, caus- 1651.  
sa omittimus.

2. Illustriss. Transylvaniæ Principi ;  
Ragocio juniori, 4. 14. ejusdem, celsissi-  
ma Princeps Elisabetha, Friderici Comit.  
Palatini relicta filia, Crofnæ in Marchia  
Brandenburgensi, matrimonio copulata  
fuit: cum qua Legati Transylvanici 2. 12.  
Junii, comitante Principe quodam Anhal-  
tino, ut & 300. equitibus, 8. pileatis, &  
vehiculis, quibusdam expeditoriis, per  
Vratislaviam in Transylvaniam iter matu-  
rarunt.

3. Illustriss. Princeps, Dn. Dn. Wolff-  
gangus V Vilhelmus, Com. Palatinus Rhe-  
ni &c. habito secretiori consilio, & tracta-  
tu cum ordinibus provinciæ, præsentem fi-  
lio, & conjugem, 9. Maji, styl. nov. Mariam  
Franciscam, generosiss. Dn. Dn. Egonis,  
Comitis Fürstenbergici filiam, Dormagiæ  
magnificè excepit, & conserto aliquot ho-  
ris colloquio, & desponsatione conjugali  
factâ, eadem adhuc nocte Princeps spon-  
sus Düsseldorfium regressus, solennitati-  
bus solis, in clangorem solutis campanis  
& machinis, magnoque populi applau-  
su, in Ecclesia metropolitana copulatus  
fuit.

Anno  
1651.

4. Illustriss. Princeps Dn. Dn. Ulricus Dux V Vürtembergicus eodem mense Comitissam viduam ab Hochstraten, Principis Barbansonii filiam matrimonio sibi Bruxellis conjugavit.

5. Vienna refertur, de dato 19. 9. Aprilis, quòd Illustriss. Princeps Dn. Dn. Dux Amalpinus, aliàs Piccolominius dictus, inclyti Cæsari Vicarius Generalis, præmissis anteriori die impedimentis Pragam, animi habuerit, se proxima Sabbathi secuturum ad celebrandas cum lectissima Principe, Maria Benigna, celsiss. Principis Dn. Dn. Julii Heinrichi, Ducis Saxo-Lauenburgici, filia nuptias. Quo autem loco, quovè tempore festum hoc nuptiale peractum, nondum, dum hæc calamo committo, certò liquebat, nisi quod communis rumor suggerebat, quarta id Junii Pragæ peractum.

6. Prodit etiam Dux Enguinus Condæi filius, qui 1. Julii sc. nov. anni huius 1651. cum inclyrâ virgine, Ludovica Margarita Valefia, Ducis Aurelianensis filia, (cuius ceremoniæ baptisales, quatuordecim demum abhinc diebus peractæ:) præsentibus multis ex ordine principum viris feminisvè, contractum matrimonialem iniit, sponsæ Condæus, munus gemmatum pro  
arrha

arra exhibuit. Tantum de matrimo- Anno  
niis. 1651.

1. Mense Januario circiter trecenti Galli *Varia.*  
ex castello Philipsburgensi oppidulum  
Bruchsaliam, in Episcopatu Spirensi, pe-  
tebant, atque facto assultu in potestatem  
agebant, etiamsi nō deesset commoda de-  
fensio: quinque cives interempti, qui-  
dam vulnerati, & civitas dispoliata fuit.

2. 13 23. Martii Legatus Electoris Co-  
loniensis, Dn. Doctor Altenhofius, facta  
subscriptione recessus, in hoc nostro Fran-  
cofurto inter ordines quosdam circuli  
Rhenani Electoralis, transacti (cuius co-  
piam obtinere nequivimus) ad aulam Do-  
mini reversus est, ad faciendam de con-  
ventu circuli, viva voce relationem.

3. Interea evacuatio munimenti Fran-  
cothaliensis adhuc moram patiebatur. Et  
Rex Hispaniæ pro loci cessione petebat, 1.  
ut sibi Bisantium Burgundiæ, cum omni-  
moda Jurisdictione, traderetur, atque fa-  
cta traditio, in proximis comitiis, ab om-  
nibus ordinibus confirmaretur. 2. ut sibi  
in iisdem comitiis consimilis satisfactio  
fieret, quæ Regi Galliæ, respectu Alsatiz  
facta: 3. ut sibi numerarentur 500000.  
Imperiales, eorumque pars dimidia, statim  
in egressu præsidii, residua, duobus termi-  
nis

Anno  
1651.

nis sex septimanarum; adiectis machinis,  
quæ Coronæ Hispaniæ adpropriantur.

4. Classis Indica, quæ hoc anno in  
Hispania adpulerat, sequenti auri mo-  
le rediisse transcribitur: Ex Terra Firma,  
pro Rege, argentum & aurum 1624727.  
advexerat, metallū, 95000. pro privatis vel  
particularibus personis argentum & aurum  
2759196. Indicum, 378200. Fruges:  
168700.

Ex nova Hispania: pro Rege, 378515.  
pro privatis 240750. Fruges, 38003.

Facit integros nummos regales,

5720091.

id est, 5. milliones, 720091. num-  
mos regales.

5. Mense Aprili, & quidem ... eius-  
dem, Electoris Palatini conjux filium: Sab-  
bathi 21. Junii 1. Julij, quarta vespertina,  
Landgravia Hassiæ Casellana, filium: Re-  
gina Hispaniæ, Mercurii 12. 2. Julii filiam  
feliciter enixæ, orto magno inde in aula  
Regis, & utriusque Principis gaudio.

De Casibus Tragicis, à pag. 89 usque  
ad p. 94. præcedentis Relationis XXXIII.  
actum. His etiam in hac insitemus: ab  
homicidiis exordiendo.

1. Mense Februario Neapoli sacer-  
dos cum suo ministro, quòd matrem  
cum

cum filia, furti faciendi causa, claro die in- Anno  
teremissent, in carcerem coniecti. 1651.

2. Viennæ ante portâ rubram, ad pon-  
tem tractilem, mense Martio, referenti-  
bus ita literis sub dato 20. 30. Martii per-  
scriptis, Judæa, Leonora vocata, urbem  
ingressura, ab equite quodam ignoto,  
duobus globis transverberata, fuit. Hinc  
proclamatum, ut, qui authorem significa-  
ret, quingentis Ducatis donaretur, sin au-  
tem ipse se listeret, mille Ducatorum præ-  
mio cum impunitate vitæ salvus abiret;  
eò quòd facinus hoc ex suggestione Ju-  
dæorum profectum præsumerent.

3. Romæ duo vestitum rusticum, e-  
mentiti, Cardinalis Atestini magnum au-  
læ Magistrum, Comitem Hieronymum  
Grossium, in publica platea globo interfe-  
cerunt, & quamvis Comes cum Mar-  
chione Lucifario, viginti Ministrorum co-  
militio stipatus inccsserit, peruperunt ta-  
men, & fuga elapsi sunt.

4. Gravinæ in regno Neapolitano,  
Abbas Philippus Cosetti, in Ducis illius Pa-  
latio, eiusdemque proprio lecto, trucidatus fuit.

5. Venetiis Franciscus Accentis, alii  
Fridericum vocant quòd parentem è vivis  
iustulisset (ut de dato 7. Julii per scriptum)

I 3 torpi-

Anno  
1651.

forpicebus candentibus laceratus & dissectus fuit.

6. Neapoli eques Aquaviva, Ducem de St. Donato Wajas, in ipsius carpento gladio peremit.

7. Comes Carolus della Torre, (quod de dato Venetiis 12. Augusti, obnunciatum) hostem suum, Comitem Petazzo, in ipsius Castello, in Foro Julio, uno ictu in lecto interfectum sustulit. Hæc de homicidiis: Portenta veniunt.

8. Ortenburgo de dato 4. Februarii St. N. 1651. relatum, quod ea ibi septimanâ Rosinæ Lenkin, Lederin, infans tribus diversis vicibus in utero materno lacrymaverit; & quod campana in sacello pascui vaccini, jurisdictionis Vilshoferianæ, ex se ipsa mota, clangorem ediderit.

9. Weiskirchii in Moraviâ Judæa quædam infantem mortuum, & elephantem vivum peperit, qui infantis carnem ex latere abrosam devoraverat. Hic aliquot horis supervixit; sed à Judæis fervida perfusus, spiritum emisit.

10. At, ut ad exundationes etiam accedam, hoc sibi gratiosus Dominus Lector habeat: quod in lacu Lario navis cum 34. recens conscriptis militibus Germanicis,

inter-



interierit, ex quibus unus solummodo in Anno  
viviſt perſtititſſe dicitur. 1651.

11. Ex Belgio habetur: Damnum ex  
proxima inundatione acceptum (de quo  
videatur pag. 97. præcedent. Relationis  
XXX.) eſſe planè inæſtimabile atque inde  
enormes lamentationes volvi: Nec pro-  
cul Oſtenda etiam navem, quæ ex Mallega  
venerat, 300. vaſis oleo, aromatibus, a-  
liis que mercium ſpeciebus impletam, fun-  
do ſubſediſſe.

12. Hinc etiam Hamburgi unda altio-  
ra ſpatia occupavit, ita, ut aliquot digitis  
eam, quæ ante 25. annos exorta dicitur,  
exceſſerit. Inde in cellis, mercibus, cum  
intempeſta nocte educi non poſſent, in-  
gens damnum datum. Sic etiam de da-  
to 12. 22. Aprilis eodem Hamburgo tran-  
ſcriptum, aquam quibuſdam tum die-  
bus magno ſubitoque impulſu, ita ſe præ-  
cipitaſſe ut admirationi fuerit, nec ſimile  
quid antehac unquam vel factum vel au-  
ditum: Id quod vallis & aggeribus hic illic  
perquam malè accidit; nec multis auri  
myriadibus reparabile iudicatum. Tum  
inter Winſium & Stockemium, magni  
ſpatii viam feciſſe, regionem ſupergreſſam  
Wüllenburgi, cis montem der Stegen-  
berg/ ruruſum egreſſam, Albi ſe conjunxiſſe:

Anno 1651. inter Winsium & Hoppiam lacum formasse scribitur, tantum, ut nemo istac, iter facere potuerit, incolasque cum pecudibus, & facultatulis suis insistere collibus adegerit.

13. Vistula ex glacie præter opinionem subito liquefacta, non solum pontes Thoriæ secum abripuit, sed etiam versus Gedanum in demissiori planitie, in der *Wüstung* / inter Graudentium & Marienburgum, insulam duorum milliarium latitudine obruit, ut tam hominum quam pecorum funesta perniciēs fuerit. Infra Graudentium ultra 500. homines; infra Marienburgum & Elbingam in Insula aliquot millia hominum, miserè suffocati: etiam duo integri pagi cum domibus, pecoribus, & hominibus, vi fluctuum omninò abrepti, ut vel ne locus quidē noscibilis sit, an unquam is pagos domosvè habuerit. Hæc de exundationibus: Ad terræmotus convertendus etiam aliquantum calamus est.

14. Ex Lima, in provincia Peru, per scriptum, fuisse in proximè adjacenti regione Chili, tantam terræ commotionem, ut ipsa regni metropolis, civitas Sancti Jacobi in totum interierit. In insulis Philippinis, idem accidisse civitati Manilæ; & in regno  
isthoc

isthoc quibusdam tremendis terræmoti- Anno  
bus, plures civitates, atque inter eas caput 1651.  
regni à Lima, simul abyſſo ſubſediſſe: imò  
trium ſeptimanarum ſpatio circiter 370.  
terræmotus adeò horrendos fuiſſe, ut ho-  
mines præ timore in terram prociderint, &  
rationis periculum ſenſerint, totos etiam,  
eosque altiōres montes & petras diſtru-  
ptos, & à terra abſorptos eſſe.

15. Huc pertinet & Pulsus ille terræ, vel  
miraculum, quòd Lunæ 5. 15. Maij, poſt  
pagum Dorndorf, unius horæ quadrante  
ab oppidulo Laucha, ultra Unſtrudam diſ-  
ſitum, accidit: Habebat agricola quidam  
poſt jam dictum pagum, in proximo Syl-  
vulæ alicuius porrecta montis longitudi-  
ne vineam, probè cultam, quòd Lunæ ante  
Aſcenſionis Domini ſub mane traduces  
immiſſurus iverat. Iſthuc cum veniſſet, im-  
proviſo animadvertit, fatiſcere aliquan-  
tum in capite montis terram, quod alio-  
quin ex calore æſtivali fieri aſſolet; ſed quæ  
inter ſpectandum ſemper ſeſe dilatabat.  
Laborem deinde ſuum cum aggredere-  
tur, exoriebatur fragor & crepitus in ſylvula;  
arbores & virgulta ſuſſum tendebant, imò  
in ipſa ruſtici vinea, hic illic minuti collicu-  
liculi, ac ſi talpæ ſubtus eſſent, quæ terram  
ſuſſum exagitarent. Hinc cum cum por-  
rò vide-

Anno  
1651.

rō videret agricola arbores arbustaq; cum  
 parte terræ, & reliquis omnibus procede-  
 re, horrore percussus, ne mons omninò  
 decideret, aliò se surripuit, vicinos vocavit,  
 iisque mirandum hunc casum significavit,  
 qui nō sine stupore rem intuebantur, quos  
 & alii vinitores ex vinetis, & hos plurimi  
 cives & rustici secuti. Tunc videre erat  
 arbusta, arboresque ex fundamento sur-  
 sum agi, quarum quædam in latus incli-  
 nabant, modò in superiori modò inferiori  
 parte consistentes: quandoq; unius horæ  
 besse ad decem ulnarum spatium gradum  
 promovebant; quædam ulterius, quædam  
 propius, ita ut ea die arbusta & arbores ad  
 trecentos usque ulnas ex nativo loco, & à  
 monte cum dimidia vineæ parte, vel quod  
 superare putaveris, quæ ultra sylvulam ad-  
 jacebat, deorsum commotæ fuerint: Ar-  
 busta quædam, quercus mediocres, piro  
 & fagos, vis agitationis omninò disjecit,  
 qui in lutea palude interierunt; partem et-  
 jam vineæ, cum racemis & terra, ferè qua-  
 tuor ulnarum altitudine sursum emovit.  
 Hiatus, ubi sylvula se explicabat, principiò  
 profunditatem domus alicujus referebat,  
 eam verò latitudinem, quam ne jactu qui-  
 dem lapidis superare quis potuerit. Sed  
 quæ postea ex densa & uberi scaturigine  
 vineæ,

vineæ, quæ transversim à superioribus de- Anno  
orsum fluebat, & humum secum provol- 1651.  
vebat, paulatim repleta fuit. At sylvula ex  
latere versus Laucham adhuc consistebat:  
Infra sylvulam vinea est, Domine à Roken-  
hausen propria, ut & inferiùs transversim  
alia, quæ ad aliquem rusticum pagi illius  
spectat: in illa & rustici meliori portione,  
quæ nobiliores racemos profert, perstat  
jam sylvula cum terra, quatuor ulnis supra  
racemos, adeò accuratè & solidè, ac si per-  
petim ita ibi constitisset. In foramine est  
terra albescens, & lutea, instar mixtæ alicu-  
jus paludis, istac longiori pertica ictu facto  
fundus nullus suppetebat; quæ vera & so-  
lida de hoc terræ pulsu, quæ species terræ-  
motus habetur, relatio est. Scaturigo ist-  
hæcerat aqua vera, & limpida, non lutu-  
lenta, instar ejus, quæ quibusdam abhinc  
annis Hornhusii profluxit. Saporem fere-  
bat ad similitudinem illius, quæ veris pri-  
mordio ex succulentis bætulis enascitur,  
conjuncta tamen cum quadam spissitudi-  
ne & reputabatur postea pro fonte saluti-  
fero, & aqua, morbofis conducibili, illis  
præsertim, qui pedibus manibusvè clausi,  
itemque qui scabie laborant. Ab elapso  
etenim Pentecostes, quibusdam diebus  
ultra ducenti homines illic adventaverant,

Anno  
1651.

qui aquam hanc in lagenis, aliisque vasculis, etiam cum equis asportabant; de cuius admirabili cura (cujus varios modos adijcere possemus) fortean alio tempore sermo erit.

16. Uno atque dimidio milliari ab oppidulo Laucha, ferè versus sylvam Monasterii, aurifodina patefacta est, quam præfectus ex Porta Scholastica per rusticos repurgandam curavit; istuc etiam à magistratu probator amandatus, quem proximè duodecim metallarii in rem exactius inquisitum, secuturi sunt.

17. De tonitruis addendum; Mense Aprili, tribus continuis diebus circa Viennam adeò Jovem lævisse, ut ex posteriori pagus Schwöcht, uno atque dimidio milliari à Vienna distans incensus, tertia sui parte conflagraverit.

18. Septima Maii Hallæ templum primarium cælo tactum, ex quo succensum, sed à salinariis, & incidente tum magno imbri, Deo auxiliante, brevi, periculo ereptum fuit.

19. Et scribitur, fuisse in Thuringia valde horrendas fulminationes, atque duobus ab Erfordia milliariibus cataractam cælo demissam, ex qua vis undarum quaedam majores arbores terra eripuerit, magnosque

gnosque lapides provolverit, aliquot et Anno  
jam domos horreavè in acervum conjece- 1651.  
rit, ut multi & homines & pecudes inde  
interierint.

20. Mercurii 20. Maii St. N. Pragæ to-  
ta nocte, usque ad diluculum, infanda ro-  
nitrua exorta, iisq; templum Dominicum  
quinque locis tactum. Jovis à meridie tan-  
tus imber suboriebatur, ut naviculis in pla-  
teis utendum fuerit, quod cellis & ædificiis  
enormi damno accidit.

21. Mense Junio circa Leitmaritiam in  
Bohemia, omnes fruges & vineta, quatuor  
milliarium ambitu, ex grandine perie-  
runt.

22. Incendia : 29. Aprilis Vlyssibonæ  
in Lusitania, templum parochiale ad D.  
Deiparæ à Loreto, vocitatum, in quo mul-  
ta pretiosa videre erant, à cerea, quæ deor-  
sum in linteamenta altaris deciderat, in-  
cendium concepit, tantum, ut dimidiæ ho-  
ræ spatio ferè totum flammis crepuerit, &  
in rudera abiverit, damno ad tres milliones  
judicato.

23. Decima Maji St. N. sub nocte pa-  
gus Nusdorff celebratæ pulchritudinis, u-  
no à Vienna, Cæsaris aula milliari remo-  
tus, incuria piscatoris cujusdam usque ad  
tres domos incendio correptus.

24. Eadem

Anno  
1651.

24. Eadem fati infelicitate usa civitas  
Piseccensis, non ita procul à Budvisio in  
Bohemia remota, quæ 26. Maji ex aliquo  
in suburbio exorto igne, quem ventus per  
mænia civitati adflaverat, ultra dimidiam  
sui partem in cineres subsedit.

25. Sic etiam eodem mense oppidu-  
lum Silesiæ, *der kleine Heyn* / duobus Li-  
gnicia milliariibus distitum, potio-  
rem sui partem Vulcani violentia in ruder-  
a discessit.

26. Solis 1. 11. Junii, cum Colonia  
solita procausio ageretur, & deinde specta-  
culis pyrobolariorum vacaretur, horreum  
fæno impletum ex ignis volatu incensum,  
ita excrevit, ut 23. domus inde dele-  
rentur.

27. Tandem etiam 18. Julii Suerinum  
Principum Megapolensium sedes, una  
cum curia, incendio sublaturum, ita ut tan-  
tum arx Principis & templum, quod qui-  
dem flamma tactum, sed ereptum fuit cum  
paucis quibusdam domibus, *auss der  
Schiff* / *salvæ* permanerint: Ignis ex of-  
ficina fabri ferrarii originem acceperat, &  
ex lino, quod ante fores officinæ steterat,  
à mulieribus in sole arefaciendo, ejusmodi  
fomenta & incremēta ducebat, ut in eo ex-  
tingendo omnis cura laborq; irritus fuerit.

28. Sa-



28. Sacrilegia & furta; Pragæ mense A- Anno  
prili tres milites, qui se in Templo paro- 1651.  
chiali concludi passi fuerant; ex omnibus  
altaribus ornatum, candelabra argen-  
tea, vestimenta sacra, aliaque, sacrilegis ma-  
nibus contrectarunt; carceribus manci-  
cipati sunt, de quorum pœna nondum  
constat.

29. Viennæ, ut de dato 18. Augusti re-  
fertur, eodem, duo sacrilegi, quorum alter  
in Bavaria, Suevia, superiori & inferiori  
Austria, ferè tercentum Ecclesiis impias  
manus adplicuerat, pœnæ subjecti, quo-  
rum unus laqueo ex furca interemptus, al-  
ter patibuli columnæ catena alligatus, sac-  
co nitrato pulvere repleto è vivis exem-  
ptus, uterque autem rota confractus, flam-  
misque subjectus fuit. Tantum de casti-  
bus Tragicis.

A facta posteriori Relatione sub N. 33. *Obitus*  
p. 134. ex vivis excesserunt, qui sequenti *magnorū*  
indice exhibentur. *virorum.*

1. Gloriosissimi Cæsaris consiliarius se-  
cretior, & superior Camerarius, Dn. Joh.  
Rudolphus Comes à Bucheim &c. mense  
Januario.

2. Dn. Marchio à Castel Rodrigo; Guber-  
nator antehac quidem Belgii, postea Regis  
Hispaniæ grandis aulae Magister, 8. Febr.

3. Dn.

Anno  
1651.

144

*Mercurii Gallobelgici*

3. Dn. Tribunus Burggravius à Do-  
na: Et

4. Dn. Comes à Tschernin, supremus  
provinciae magister aulicus in regno Bohe-  
miae &c. uterque mense Martio, Pragæ.

5. Dn. Contarinus, Mediator Monaste-  
riensis, eodem mense, Venetiis.

6. Illustriss. Princeps ac Dn. Dn. Johan-  
nes Landgravius Hassiæ mense Aprili.

7. Comes & Generalis Campi Mare-  
scallus Torstensonius &c. eodem mense,  
Stockholmia.

8. Confœderatorum Belgii ordinum  
Legatus, Dn. Strasser: Hamburgi, eod.

9. S. Cæsar. Majestatis consiliarius Im-  
perii aulicus, itemque Electoris Moguntia-  
ni Cancellarius, Dn. Nicolaus Georgius  
Reigersbergerus &c. 7. Junii, Franco-  
furti ad Mœnum.

10. Dn. Generalis Societatis Jesuiticæ:  
Pater Piccolominius, 17. ejusd. Romæ.

11. Marchio à Balzo, Principis Mona-  
censis filius, quem ex sclopeto, quod sibi  
præter opinionem deciderat, duo globi  
transverberarunt, ut inde spiritum relique-  
rit. Tum etiam

12. Illustriss. Princeps, Landgravia Has-  
siæ Cassellana, vidua, Amalia Elisabetha,  
Comitissa Hanoviarum &c. 8. 18. Augusti,  
Casel-

Casellis. Quibus omnibus salus æ- Anno  
terna. 1651.

Victoriam, quam adjuncta æri incisa *Explicatio forme*  
forma spectandam IBI gratiose Domine *æneæ.*  
Lector, exhibet, celeberrima Venetorum  
Resp. mense Julio anni hujus 1651. sub  
excellentiſſimi sui Archithalassi Dn. Lu-  
dovici Mocenigi imperio apud Policadru  
in Archipelago à Turcis reportavit, hoc  
quo sequitur modo: Utriusque partis clas-  
ſis invicem sibi hæctenus insidiata fuerant:  
neutra prælio occasionem suppeditare au-  
dente: Tandem tamen accidit, ut prædi-  
cto mense propius congressæ, fortunæ fe-  
licitatem pertentare voluerint.

Quamvis autem Turcæ in principio pu-  
gnæ tres triremes Venetianos adeò cir-  
cumdederant, ut ferè suæ subjugassent po-  
testati; Deus tamen Ter Opt. Max. ita  
clementem opem tulit, ut tota Venetorū  
classis trirēmibus his in periculo hæsitanti-  
bus commodo subsidio adesse potuerit, id  
quod causa fuit, ut ex levi conflictu ingens  
prælium subortum, in aliquot horas ex-  
creverit, tantisper dum fortunante Deo  
Turcarum triremes fugam caperint, reli-  
cta nostris egregia victoria. Qua in Vene-  
torum potestatem abierunt sedecim Tur-  
carum triremes, cum Caramulala, unaque  
K Maona

Anno  
1651.

Maona, inter quos quatuor, unà cum primaria Constantinopolitana, com meatu, rebusque aliis onasta, subjecta flamma inventos recesserunt. Turcarum in hoc prælio circiter duo millia, etiam Bassa Natoliæ, interfectus, 1500. capti, è quibus 3500. mancipia Christiana in libertatem vindicata: Venetorum ducenti ad superiores præmissi, in quorum numero positus etiam erat Dn. Thomas Mocenigus Generalissimi patruelis, plures autem vulneribus ornati sunt. Senatus Venetiis per omnia templa triumphum sacrum concinendum mandavit.

Adulto Augusto celoce ex classe Venetiis adfuit quidam Jacobus Loredan, plures pugnae circumstantias describens, quem Dux catena aurea magni pretii donavit, sex millibus quoque Ducatis in pauperes erogatis: Scripta ipsius, quæ attulerat, perhibebant, esse inter captivos Apostatam Nicolaum de Nadalin, Foro-Juliensem, qui ante hoc temporis cum nave plumbo & com meatu referta, ad Turcas defecerit, Bassam Generalem quassata sua Maona, fuga evasisse, graviter vulneratum, qui an mortuus, an adhuc vivus, in incerto esse. Preterea Venetos duo millia Turcarum, quæ in petram suffugerant, in tantum conclusisse,

clusisse, ut vel captivos se sistere, vel fame Anno  
perire omninò oporteat: de cætero, in 1651.  
persequendis reliquis triremibus Turcicis,  
adhuc graviter occupatos esse. Insuper  
referebatur, præter victoriam in Archipe-  
lago comparatam, classem Venetâ in Portu  
Sciûs Insulæ, denuò viginti quinque Tur-  
carum triremes incendio delesse, unam  
etiam navem, tresque triremes captivos e-  
duxisse: Idcirco decretum à Senatu est, ut  
omnes ob causas, tam criminales, quam  
civiles carceribus conclusi, libertati resti-  
tuerentur, & æs ipsorum alienum, ex pu-  
blico exolveretur; Hactenus.

Tenunc, gratiose Domine Lector, amicè  
compello, ut, quæ tibi relata, æqui bonique  
consulas; errorem, si quis præter opinio-  
nem contigerit, vel ignoscere digneris, vel  
dubiis relationibus acribas, quem dehinc,  
si necessitas feret, vel corrigere, vel solidio-  
ri fundamento adstruere recipimus. Ma-  
gnum & sanctum Numen, quod bellum  
permittit, quod pacem reddit, utrinque  
nos foveat, servet, custodiat, in ævum, o-  
mniaque ante oculos obversantia consi-  
lia pacifraga, clementer aver-  
tat. Amen.

\* \*  
\*

K 2

IN-



I N D E X.

Eorum, quæ in tertio hoc li-  
bro, tomi XXIX, lectori  
exhibentur.

A.

- A** Mericana, 126  
**A** Anglica, Scotica, & Hibernica, 124  
**A** Aula Suecica status, 17  
**A**umontius, exercitui Gallico summus Impe-  
rator praeficitur, 47

B.

- B**aro Schmidius Constantinopoli reverti-  
tur, 11  
**B**elli, inter Electorem Brandenburgensem, &  
principem Palatinum Neoburgensem  
suscitati cause & origo, 54  
**B**elli, inter Electorem Brandenburgensem,  
& principem Palatinum Neoburgensem  
Congressus primi hostiles, 91  
**B**illi Veneti, cum Turcis continuata rela-  
tio, 93  
**B**elli, inter Hispanos & Gallos in Belgio, Italia  
& Cati-Alania, ulterior narratio. 41  
**B**ohemica, 14

C.

- C**arolus Carlsonius tumulo magnifice il-  
latus, 18  
**C**andia status exulceratissimus, 94  
Christia-

## INDEX.

<i>Christianus Ranzovius novis dignitatibus in-</i>	5
<i>signitur,</i>	
<i>Chani Tartarorum legatio Stocholmia,</i>	16
<i>caret successu,</i>	17
<i>Colatus junior accitur in consilium aulicū,</i>	5
<i>Conditio status Polonici,</i>	109
<i>Connexio cum priori Relatione &amp; voto au-</i>	
<i>thoris,</i>	3

### D.

<b>D</b> <i>Almatica,</i>	104
<i>Danica historia stringitur,</i>	22

### E.

<b>E</b> <i>Leonora Mantuae ducissa, ad aulam Ce-</i>	
<i>saris sponsa deducitur,</i>	9
<i>Episcopus Constantiensis feudo Imperij dona-</i>	
<i>tur,</i>	8

### F.

<b>F</b> <i>Landria per Gallos affligitur,</i>	48
--	----

### G.

<b>G</b> <i>Allica, extra bellum gesta,</i>	24
<i>Galli Casalio, &amp; reliquo suo statui in</i>	
<i>Italia provident,</i>	50
<i>Gallorum apud Cat-Alonienses perversa con-</i>	
<i>ditio,</i>	52
<i>Gubernator Mediolanensis militatum exit,</i>	
<i>pag.</i>	53

### H.

<b>H</b> <i>Elveticorum legatorum expeditio in</i>	
<i>aula Caesaris,</i>	4

K 3

Hun

I N D E X.

*Hungarica,* 12

K.

**K** Onigsmarccius comitis titula auge-  
tur, 21

L.

**L** Ambergius novam Imperatricem Man-  
tua deductum proficiscitur, 8

Legatus Turcicus Vienna Constantinopolim,  
redit, 12

M.

**M** Artinus Gestrenius inter vivos esse de-  
sinit, 20

Matrimonia magnatum, 12

Mazarinij è regno Galliarum ejection, 25

Metus ingens in provinciis Rhenanis ob bel-  
lum Brandenburgense & Neoburg. 91

O.

**O** Bitus magnorum virorum, 143

P.

**P** Arnassus triumphans per choream exhi-  
betur, 18

Polonici Oratoris sollicitatio in aula Caesaris, 4

Princeps Neoburgicus se ad resistendum Bran-  
denburgensi parat, 72

R.

**R** Egina Suecia Vpsaliam adit, 18

ejus in Evangelicos aliosq; pia muni-  
ficentia, 19

Rex Dania vita periclitatur, 23

Tor-



I N D E X.

T.

- Torstenonius inter vivos esse desinit,* 20  
*Trabarum vectio apud Viennenses solennis,* 6  
*Tumultus Burdegala novus,* 37  
*componitur principe Condao in guber-*  
*natorem Aquitania constituro.* 38

V.

- V** *Aria,* 331  
*Venotorum cum Turcis bellum,* 93  
*minaci Turcarum furori nihil ceden-*  
*dum arbitantur,* 94

W.

- W** *Irtenbergici & Brunswicenses Legati*  
*feuda accipiunt,* 5

F I N I S.



I N D E X

T.

Tostoffen inter vivos esse debent. 20  
 Testamentum verum quod Testamentum solenniter  
 Testamentum Burdigale nomen. 27  
 Testamentum principis Condac in suber-  
 Testamentum etiam inconstitutum. 38

V

Venerabilis curia in bellis. 22  
 Venerabilis curia in pace. 24  
 Venerabilis curia in pace. 24

W.

W

Welfen in Brunsvicensis Regni  
 Welfen in Brunsvicensis Regni  
 Welfen in Brunsvicensis Regni

F I N I S



Gründ- vnd eigentliche A  
Begleitte S<sup>r</sup> Excell. Herin Alu

Gründ- und eigentliche Abbildung der Herrlichen Victorio, so die Venetianische Schiff-Armata, den 16 Julij dieses 1651. ten Jahrs. vnderm Begleite S. Excell. Herrn Aluise Mocenigo, als General-Capitains, im Arcipelago, oder auff dem Mittelländischen Meers glücklich erhalten worden



- A. Zwölff runde Schiffe so gefangen worden  
 B. 18. Venetianische Gallien  
 C. Gefangene Galleazza  
 D. Tschenucke, so sich gefangen geben müssen  
 E. Venetianische Galeazzen  
 F. Des Herrn General Mocenigo Hauptschiff  
 G. 18. Venetianische Schiffe  
 H. 4. Türkische Schiffe, so im Feuer verdorben  
 I. Türkischer Amiral, in der Flucht  
 K. Armata der Türcken, wie selbige die Flucht ergriffen, bestehende in 70. Galleren, und 5. Maonen  
 L. Flucht 3000 Türcken in der Insul: Item gefangennehmung 3500. warunter 3500. Christen Slaven, so sich in Anfangs gesetzt 12. runden Schiffen befunden  
 M. Ein theil von der ruinirten und gefangenen Armata











W 5212

(26/28)

ULB Halle

3


007 103 360





101  
27






B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



GALLO-BELGICI  
O ARTHUSIO SUC-  
URRIATI,

*Sive*  
V M I N  
T BELGIO PO-  
PANIA QUOQUE,  
GERMANIA, UNGARIA,  
undinis Francofurtensibus ver-  
ad nundinas eiusdem anni  
passim gestarum,

**NARRATIONIS**

*inuata,*  
SIMI OCTAVI  
ERTIVS.  
*uctore*  
SCHLEDERO, Ratisponensi.  
*st. Privilegio Speciali.*



OFURTI,  
*Sigismundi Latomi, Anno 1651.*

